2

DE

SECTIONE CAESAREA.

COMMENTATIO

A SOCIETATE MEDICA ACADEMIAE GOTTINGENSIS
PRAEMIO ORNATA

SCRIPSIT

P. HASSE,

MED. DR.

CELLAE

CAPAUN - KARLOWA.

1856.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

EDUARDO CASP. IAC. DE SIEBOLD

ORDINIS DOMUS ERNESTO-SAXONICAE COMMENDATORI
ORDINIS GUELPHICI ET REGII BORUSSIC. AQUILAE RUBRAE
TERTIAE CLASSIS
NEC NON ORDINUM ELECTORALIS HASSIACI GUILIELMI EQUITI
PHILOSOPHIAE MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO
XENODOCHII OBSTETRICII REGII IN ACADEMIA GEORGIA
AUGUSTA DIRECTORI
REGI HANNOVERAE AB AULAE CONSILIIS
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM GOTTINGENSIS SODALI
SOCIETATUM LITERARIARUM QUAE ANTVERPIAE
BEROLINI BONNAE BRUGIS BRUXELLIS DRESDAE ERLANGAE
GANDAVI HAMBURGI HERBIPOLI MAGONTIACI MARBURGI
MONACHII NOVAE-AURELIAE ET PARISIIS FLORENT SODALI

PRAECEPTORI CARISSIMO

FAUTORI OPTIME DE SE MERITO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Inter omnes operationes, quas exigit in quibusdam casibus ars obstetricia, id est, in iis, in quibus infans via naturali vivus in lucem proferri non potest, sectio caesarea gravissimum obtinet locum.

Matris quidem vitam perforatione, cephalothrypsi, embryotomia, quae operationes huc pertinent, minus in periculum vocari quam sectione caesarea, omnes sciunt. Ita compertum habemus, in institutis obstetriciis Fuldae, Marburgi, Paviae, Virceburgi, Vindobonae, Berolini et Vratislaviae binarum matrum perforatione partu liberatarum singulas, in Hassia electorali ternarum matrum singulas matres interiisse (vid. *neue Zeitschrift für Geburtskunde Bd. 20 p. 321*); Moserum ipsum et Buschium casuum comparatione nihil aliud invenisse, cum, sectione caesarea matrum partu liberatarum multo plus quam dimidiam partem obiisse, annales enarrent.

Mors vero infantis iis in casibus, in quibus perforatio, embryotomia vel cephalothrypsis adhibetur, certa est. Hac igitur ratione nil nisi matris vita servari potest.

Contra plurima exempla comperta habemus, non solum infantem sed etiam matrem sectione caesarea servatam esse.

Sed alia est ratio synchondrotomiae. Quae si adhibetur, id agitur, ut et matris et infantis vita servetur. Quare dubium videri potest, utra illarum operationum praeferenda sit. Quae dubitatio etiam major fit, si eorum, quae synchondrotomia et sectione caesarea effecta sunt, rationem habemus.

Scanzonius affert (vid. ejus *Lehrbuch p. 919 et 920*) inter 65 synchondrotomias, quae usque ad annum 1853 notae sint, 44 ita evenisse, ut mater servaretur, 24 ita, ut infans vivus in lucem proferretur.

Quantum comperi, usque ad hunc diem 478 sectiones caesareae traditae sunt, quarum 288 infeliciter, 190 feliciter matri evenerunt. 420 in casibus infantis mentio fit, ita ut 136 mortui, 284 servati sint. Quae cum ita sint, ratio earum, in quibus mater servata est, et omnium synchondrotomiarum institutarum prodit $^{44}/_{65}$ = p. c. 67,68; sectionum caesarearum $^{190}/_{478}$ = p. c. 39,75. Ratio earum, in quibus infans servatus est, et omnium synchondrotomiarum institutarum $^{24}/_{65}$ = p. c. 36,91, sectionum caesarearum $^{284}/_{420}$ = p. c. 67,61.

Unde intelligimus, synchondrotomia matrem saepius servatam esse, quam sectione caesarea, dum infans synchondrotomiam minus sustinet.

Sed cum matris servandae ratio plus valeat, et quod supra demonstravimus, mater synchondrotomia saepius servetur quam sectione caesarea, hae comparationes judicio, quod initio statuimus (prae ceteris operationibus, quae huc pertineant, sectionem caesaream gravissimum obtinere locum), repugnare facile viderentur, nisi aliarum rerum praeterea ratio habenda esset.

Primum enim ante omnia hoc monendum est, synchondromiam, si pelvis nimis angusta sit, adhiberi non posse, cum symphysis persecata pelveos tanta spatia non semper aperiat, ut infans vivus extrahi possit. Quae cum ita sint, apparet, synchondrotomia sectionem caesaream nunquam excludi, quod inter alios confirmat Lauverjat, qui enarrat, duobus in casibus synchondrotomia peracta praeterea sectionem caesaream adhibendam fuisse. Contra nemo erit, qui peracta sectione caesarea synchondrotomia se indigere contendat. Deinde accedit, quod synchondrotomiam crudelissimam esse operationem constat, cum annales satis tradant, quibusdam in casibus ad persecandam symphysin ossium pubis cultrum non suffecisse, sed ad serram, malleum et scalprum confugiendum fuisse, ut ossificatae cartilagines separarentur, id quod, ut exemplum afferam, evenit viro clarissimo Carolo Casparo de Siebold. Denique addendum est, hujus operationis haud raro tam infelicem esse exitum, ut si non mortem, attamen miserrima matri afferat mala, quod singulari feminae, quae vocatur Souchot, fistula vaginovesicaria, uteri prolapsu et tardo difficillimoque ingressu post operationem laborantis, exemplo magnopere confirmatur.

Quae qui secum satis reputaverit, is sectionem caesaream graviorem obtinere locum, quam synchondrotomiam, facile concedet. Magnopere tamen dolet, quod sectionem caesaream usque ad hunc

diem tanta pericula sequuntur, ad quae tollenda ars hominum prudentiaque tam exiguum valet. Quare id potissimum agendum est, ut ea inveniantur, quibus sectionis caesareae pericula ita diminuantur, ut major matrum pars servetur.

Quod effici posse prorsus persuasum habeo, sed eo tantum modo, ut omnes sectiones caesareae, quae usque ad hunc diem annalibus traditae sunt, diligentissime comparentur. Hac igitur via id quod nobis propositum est perficere tentabo.

Primum igitur ad pericula cum sectione caesarea conjuncta diligentius perscrutanda transeo.

Nemo non compertum habet, quam perniciosa sint vulnera in abdominis cavum penetrantia et quanta impedimenta, praesertim si abdominis organa, quae magni momenti sint, laedantur, iis sanandis opponantur. Vehementius etiam ejusmodi vulnerationibus corporis conditio turbatur, si uterus laeditur et eo quidem tempore, quo vires ejus ad summam actionem excultae sunt et ut ita dicam, vitae fila ex eo pendent.

Quae cum ita sint, non solum periculum gravis peritonitidis, sed etiam percussio nervorum systematis timenda erit, cum vulneratio hujus organi plane sanguine repleti simul periculosas afferat haemorrhagias. Quamquam si medico nihil aliud superandum esset, quam id, quod per se ipsum uteri vulnerationem sequitur, matri sectio caesarea sine ulla dubitatione multo felicius eveniret, quam ad hunc usque diem factum est.

Sed quod maxime dolendum est, alia in hac operatione tantas agunt partes, ut utrum mater servetur an non ex iis potissimum pendeat.

Quod ante omnia intelliges, si miseras gravidarum conditiones observaveris. Plerumque enim adeo turbatae sunt, ut prognosis primo aspectu miserrima matri futura sit. Plurimas matres rhachitide et osteomalacia deformatas esse invenimus, penuriae, fami et miseriae expositas.

Kayser in dissertatione „ de eventu sectionis caesareae“ 171 matrum sectione caesarea partu liberatarum rhachitide 101, 51 osteomalacia, reliquas 19 pelveos tumoribus et vaginae stricturis etc. affectas fuisse affert.

Similis ratio ex meis sectionum caesarearum, inde ab anno 1840 traditarum, comparationibus prodit. Simul casus a Kayser non commemoratos, fide plane dignos meam in collectionem receptos esse moneo.

Sequitur enim, ut 126 matrum 61 rhachitide, 54 osteomalacia, et reliquae 11 pelveos tumoribus etc. affectae fuerint.

Summa igitur utriusque comparationis ea est, ut 162 matrum propter rhachitidem, 105 propter osteomalaciam, reliquarum 30 propter pelveos tumores etc. sectionis caesareae opera et arte partui succurrendum fuerit. Kayser quidem earum matrum, quibus rhachitis causa sectionis caesareae erat, plurimas esse servatas affert, ita ut 101 matrum 40 operationem sustinerent et 61 perirent. Itaque felicium casuum et omnium ratio erit ut $^{40}/_{101}$ = p. c. 39,6. Contra Kayser affert, sectione caesarea in matribus osteomalacia affectis adhibita idem esse effectum, quod in iis, quae pelveos tumoribus etc. laborarent, cum 51 matrum osteomalacia affectarum 35 mortuae sint, 16 superstites fuerint; matrum 19 pelveos tumoribus vel stricturis vaginae etc. affectarum 13 perierint, 6 servatae sint, ita ut ratio procedat prior $^{16}/_{51}$ = p. c. 31,15, ratio secunda $^{6}/_{19}$ = p. c. 31,58.

Jam ex meis comparationibus aliae sequuntur rationes, quas ad verum propius accedere persuasum habeo, quam eas, quas Kayser collegit. Unde apparet, 61 matrum rhachitide affectarum 32 superstites fuisse, ita ut ratio prodeat $^{32}/_{61}$ = p. c. 52,45; matrum 54 osteomalacia correptarum 19 vitam servasse, ita ut ratio sit $^{19}/_{54}$ = p. c. 35,18; reliquarum 11, pelveos tumoribus etc. affectarum, 7 servatas esse, ita ut ratio sit $^{7}/_{11}$ = p. c. 63,63.

Qua ex comparatione colligimus, matres rhachitide, osteomalacia affectas, quarum numerus omnium sectione caesarea partu matrum liberatarum est maximus, saepissime obiisse et eas saepissime esse servatas, quarum pelvis non malis universalibus, sed iis morbis coarctata esset, quibus sola pelvis afficeretur. Animos quidem matrum, metu etiam atque etiam crescente exspectantium operationem, valde plerumque vexari, inter omnes constat. Unde facile intelligitur, saepe naturam corporis malis jam debilitatam magis etiam corrumpi et operationis exitum etiam incertiorem fieri. Quod animi defectionis et remissionis periculum ut evitetur, fuerunt, qui proponerent, matrem retardanda operatione cogendam esse, ut ipsa quamcunque operationem ferre sponte desideret, dummodo mox partu liberetur. Qui enim ita sentiunt, ii spe removendorum dolorum, quae, ut in omnibus operationibus, ita in sectione caesarea ad puerperium sine ulla dubitatione plurimum valeat, matris animum fractum confirmari contendunt. Sed quod ab altera parte eo profecerunt, id ab altera parte perdiderunt.

Operationis enim illius retardatio magnum contrahit damnum et matri et infanti, atque quod fateri dolet multis in casibus historia traditis, ea ipsa etsi non semper matris mors adducta, tamen magnopere accelerata est. Fuerunt etiam, qui uteri contractiones per se ipsas perniciosas esse contenderent, sed jam Kayser hoc refutavit, cum afferat, 164 matrum 62 servatas esse, 102 obiisse. Tempus partus in summam, quod casibus infelicibus praeterlapsum est, prius quam ad operationem transitum est, fuit 2953 horarum, medium tempus fuit 48 horarum. Tempus partus in summam, quod in casibus infelicibus praeterlapsum est, fuit 5289 horarum, medium igitur tempus fuit 52 horarum.

Kayser praeterea, ut hac de re certiores fieremus, collectionem suam in 3 classes divisit, quarum prima illos casus, in quibus partus non diutius, quam 24 horas duravit, secunda illos, in quibus inter 25 et 72 horas duravit, et tertia illos, in quibus sectio caesarea serius, quam 72 horis post initium partus praeterlapsis instituta est, continet, atque invenit, 60 casuum, in quibus partus non diutius, quam 24 horas duravit, 20 fuisse felices, 40 infelices; 75 casuum, in quibus partus inter 25 et 72 horas duravit, 34 fuisse felices, 41 infelices; 29 denique casuum, in quibus partus diutius, quam 72 horas duravit, 8 fuisse felices, 21 infelices. —

Unde intelligimus primum horas in summam eorum casuum, in quibus mater servata sit, et eorum, in quibus obierit, minime differre, id est 52 — 48 = 4; deinde, cum 60 casuum, in quibus partus non diutius, quam 24 horas duravit, 20 felices fuerint, ratio igitur sit ut $^{20}/_{60}$ = p. c. 33,33, et 75 casuum, in quibus partus inter 25 et 72 horas duravit, 34 felices fuerint, ratio igitur sit ut $^{34}/_{75}$ = p. c. 45,33, has ipsas rationes, quas modo invenimus, ab ea ratione, quam Kayser affert, qui confirmat 338 casuum 128 felices fuisse, ita ut ratio sit $^{128}/_{338}$ = p. c. 37,86, haud magnopere differre.

In iis tantum casibus, in quibus partus diutius, quam 72 horas duravit, rationes magis inter se differunt, cum Kayser, quod modo invenimus, omnium casuum, id est 338, 128 felices fuisse attulerit, ita ut ratio sit $^{128}/_{338}$ = p. c. 37,86, contra nobis compertum sit, 29 casuum, in quibus sectio caesarea serius quam 72 horis post initium partus praeterlapsis instituta est, 8 feliciter evenisse, ita ut ratio sit $^{8}/_{29}$ = p. c. 27,58.

Sed si multo plurimis in casibus, in quibus tempus diutius, quam 72 horas duraverit, membranas jam ruptas esse uterumque

fortius se contrahere incepisse, nobiscum reputamus: has rationes discrepantes non contractionibus uteri per se ipsis, sed contractionibus uteri fortioribus post membranas ruptas tribuendas esse, jure affirmabimus.

Item iis, quae ipse inveni, id quod supra contendimus, uteri contractiones per se ipsas matri perniciosas non esse, confirmatur. 50 enim sectionum caesarearum, in quibus tempus partus traditum est, 24 feliciter matri evenerunt, 26 infeliciter.

24 casuum felicium horarum post initium partus praterlapsarum summa fuit 963, medium tempus 40 horarum; 26 casuum infelicium horarum summa fuit 1119, medium tempus 43 horarum.

Ubi partus non diutius, quam 24 horas duravit, 22 matrum 14 vitam servarunt, unde ratio prodit $^{14}/_{22}$ = p. c. 63,63. Ubi partus inter 25 et 72 horas duravit 22 matrum 7 superstites fuerunt, unde ratio prodit $^{7}/_{22}$ = 31,36 p. c. Denique ubi partus diutius, quam 72 horas duravit, 6 matrum tres servatae sunt, unde ratio prodit $^{3}/_{6}$ = 50,00 p. c. Rationem autem casuum matri felicium atque omnium eorum, in quibus partus tempus notum est, = $^{56}/_{117}$ = p. c. 47,86 inveni, unde iis tantum in casibus, in quibus tempus partus non diutius, quam 24 horas duravit, et in iis, in quibus sectio caesarea serius, quam 72 horis post initium partus praeterlapsis instituta est, uteri contractiones matri non nocuisse elucet, dum tempus partus, quod inter 25 et 72 horas praeterlapsum est, matri nocuit.

Quamvis autem partus tempus, quod 72 horas superet, matri minus nocere, quam partus tempus, quod inter 25 et 72 horas duraverit, mirum sit, ex illa tamen comparatione concludere, uteri contractiones matri non nocere, mihi licet. Neque infantibus contractiones uteri nocent.

Ex comparationibus, quas et Kayser et ego collegimus, elucet, uteri contractiones per se ipsas infantis vitam in periculum vocare non posse. Kayser affert, 158 infantium 101 servatos esse, 57 aut mortuos in lucem prodiisse, aut statim post operationem periisse. 101 casuum, in quibus infantes superstites fuerunt, tempus partus in summam fuit 4452 horarum, medium igitur tempus 44 horarum. 57 casuum infelicium, tempus partus in summam 3517 horarum, medium igitur tempus 62 horarum. Ex meis comparationibus, quibus temporis memoria subest, apparet, 50 infantium 34 vitam servasse, 16 periisse. 34 casuum felicium tempus partus

in summam fuit 1292 horarum, medium igitur tempus 38 horarum. 16 casuum infelicium tempus in summam 1060 horarum, medium igitur tempus 60 horarum.

Quae cum ita sint, facile inde quisquam colligat, contractiones uteri nocere infantibus. Sed si, ut hac de re certiores fiamus, illam casuum Kayseri collectionem in tres classes divisam observamus, 58 in casibus, in quibus tempus partus non diutius, quam 24 horas duravit, 42 infantes superstites fuerunt, unde ratio sequitur $^{42}/_{58}$ = p. c. 70,68; 72 in casibus, in quibus tempus partus inter 25 et 72 horas duravit, 48 infantes servati sunt, ita ut ratio prodeat $^{48}/_{72}$ = p. c. 66,66; denique 28 in casibus, in quibus tempus partus diutius, quam 72 horas duravit, 11 infantes superstites fuerunt, unde ratio sequitur $^{11}/_{28}$ = p. c. 39, 28.

Ut autem compertum habemus, casuum felicium ratio atque omnium, quas Kayser collegit et comparavit, fuit $^{284}/_{420}$ = p. c. 67,61, unde tempus partus, quod non diutius, quam 24 horas duravit et quod inter 25 et 72 horas praeterlapsum est, infanti non perniciosum fuisse, contra tempus partus diutius, quam 72 horas durans, periculum infanti afferre elucet.

Quod et ipse inveni. In iis enim casibus, in quibus tempus partus non diutius, quam 72 horas duravit, contractiones uteri non nocuerunt infantibus, cum 21 in casibus, in quibus tempus partus non diutius, quam 24 horas duravit, 16 infantes servati sint; ita ut ratio prodeat $^{16}/_{21}$ = p. c. 76, 18, et 22 in casibus, in quibus tempus partus inter 25 et 72 horas duravit, 15 infantes superstites fuerint, unde ratio fit $^{15}/_{22}$ = p. c. 68, 18, dum ratio, quam comperi, casuum infanti felicium atque omnium est $^{78}/_{117}$ = p. c. 66,66. Contra septem in casibus, in quibus tempus partus diutius, quam 72 horas duravit, tres tantum infantes vitam servarunt, unde ratio procedit $^{3}/_{7}$ = p. c. 42, 85.

Quibus comparatis id tantum tempus partus, quod diutius, quam 72 horas duravit, ut supra Kayser demonstravit, infantibus nocere intelligimus. Quae cum ita sint, causam, cur tempus partus medium, quod felicium casuum omnium fuerit et tempus partus medium, quod infelicium casuum omnium fuerit, et ex Kayseri et ex meis comparationibus inter se, id est, inter 42 et 62 horas differant, in eo quaerendam esse censeo, quod casus, in quibus serius quam 72 horis post initium partus praeterlapsis sectio caesarea instituta est, in collectiones nostras recepti sunt. Quod vero multo plurimis in casibus, in quibus tempus partus diutius, quam 72 ho-

ras duraverit, membranas ruptas esse uterumque fortius se contrahere incepisse supra demonstravi, id sententiae nostrae veritati non repugnat.

Itaque quoad membranae nondum ruptae sunt, operationis retardatio neque matri neque infanti periculum afferre potest. Sed raro quoque mater jam priusquam membranae ruptae sunt, doloribus eo adduceretur, ut, dummodo partu celeriter liberetur, quamcunque operationem ferre desideret. Ruptis demum membranis uteroque fortius se contrahente, unde vehementibus mater doloribus vexatur, etiamsi sectio caesarea ultimum futurum sit refugium, tamen quam celerrime partu liberari magnopere mater desiderabit. Uteri vero post membranas ruptas contractiones et matri et infanti perniciosissimas esse ex comparationibus statim elucebit.

Kayser enim affert, 112 in casibus, in quibus, utrum ante, an statim post, an quot horis post membranas ruptas sectio caesarea instituta sit, accuratius narratum sit, 47 matres servatas esse, 65 periisse, medium igitur tempus, cum 47 felicium casuum summa sit 863 horarum, 18 horas, medium igitur tempus, cum 65 infelicium casuum summa sit 1715 horarum, 26 horas fuisse. Deinde 39 in casibus, in quibus, aut ante aut usque ad 6 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta sit, 20 matres servatas esse tradit; unde ratio sit $^{20}/_{39}$ = p. c. 51,28; 35 in casibus, in quibus inter 7 et 24 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta sit, 14 matres superstites fuisse, unde ratio sit $^{14}/_{35}$ = p. c. 40,00; denique 38 in casibus in quibus serius, quam 24 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectio caesarea instituta sit, 13 matres vitam servasse, unde ratio sit $^{13}/_{38}$ = p. c. 34,21.

Unde primum membranas ruptas matri perniciosas esse, deinde quo diutius post membranas ruptas sectio caesarea instituta sit, eo infeliciorem fuisse eventum elucet, unde ratio 51,28 — 40,00 — 34,21. Meis ex comparationibus sequuntur haec:

55 matrum 34 servatae sunt, 21 perierunt. 34 felicium casuum horarum summa, siquidem, ubicunque „statim post membranas ruptas“ traditum sit, tempus unam horam fuisse statuimus, 420 fuit horarum, medium igitur tempus 12 horarum; 21 infelicium casuum horarum summa est 438 horarum, medium igitur tempus 21 horarum. Ubi aut ante aut usque ad 6 horas post membranas ruptas sectio caesarea facta est, 30 matrum 22 servatae sunt, ita ut ratio sit $^{22}/_{30}$ = p. c. 72,33; ubi inter 7 et 24 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 13 matrum 6 supersti-

tes fuerunt, unde ratio est $^{6}/_{13}$ = p. c. 46,15; ubi serius, quam 24 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectio caesarea instituta est, 12 matrum 5 vitam servarunt, unde ratio prodit $^{5}/_{12}$ = p. c. 41,66. Itaque ex meis comparationibus membranas ruptas perniciosas fuisse matri atque eo magis, quo diutius post membranas ruptas sectio caesarea instituta sit, intelligimus. Jam quod attinet ad infantem, 106 in casibus, in quibus post ruptas membranas sectio caesarea instituta est, 76 infantes servati sunt, 30 perierunt. 76 casuum felicium horarum summa fuit 1448 horarum, medium igitur tempus 19 horarum, 30 infelicium casuum horarum summa 1130, medium igitur tempus 38 horarum. Ubi aut ante aut usque ad 6 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 37 infantium 32 servati sunt, ita ut ratio sit $^{32}/_{37}$ = p. c. 86,48; ubi inter 7 et 24 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 32 infantium 25 servati sunt, unde ratio prodit $^{25}/_{32}$ = p. c. 78,12; ubi serius, quam 24 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectio caesarea instituta est, 37 infantium 19 vitam servarunt, unde ratio prodit $^{19}/_{37}$ = p. c. 51,35.

Quae ipse inveni, haec sunt: 54 infantium 38 servati sunt, 16 obierunt. 38 felicium casuum horarum summa fuit 479 horarum, medium igitur tempus 12 horarum, 16 infelicium casuum horarum summa fuit 390 horarum, medium igitur tempus 24 horarum.

Monendum autem est, in iis quoque casibus, in quibus statim post membranas ruptas sectio caesarea instituta esse dicitur, unam horam a me statutam esse.

Ubi aut ante aut usque ad 6 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 29 infantium 25 vitam servarunt, ita ut ratio sit $^{25}/_{29}$ = p. c. 86,2, ubi inter 7 et 24 horas post membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 14 infantium 8 superstites fuerunt, unde ratio est $^{8}/_{14}$ = p. c. 57,14; ubi serius, quam 24 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectio caesarea instituta est, 12 infantium 6 servati sunt, unde ratio est $^{6}/_{12}$ = p. c. 50,00. Ex his quoque comparationibus infantis vitam operatione post membranas ruptas retardata in periculum vocari elucet, et ita quidem, ut Kaysero auctore ratio sit — 86,48 — 78,12 — 51,35; ex meis observationibus inde ab anno 1840 usque ad hunc diem institutis — 86,2 — 47, 14 — 50,00. —

Quae cum ita sint, cum ex utraque comparatione idem inventum sit, uteri contractiones post membranas ruptas et matri et infanti perniciosas esse, eo magis contendere licet.

Quod autem supra attulimus, fuerunt, qui retardanda operatione periculum animi fracti sublatum iri exspectarent, rati scilicet, crescentibus doloribus matrem permoveri, ut quamcunque operationem ferre sponte desideret.

Sed cum ruptis demum membranis adeo dolores augeantur, ut desiderium illud excitetur, id quod propositum est, minime sufficere apparet, quia operationem post membranas ruptas institutam et matri et infanti periculum afferre supra demonstravimus. Cum vero, periculum illud virium animi remissarum tollere, nostrum sit, aliae viae ac rationes quaerendae sunt, quas, nunc praetermissas, infra diligentius pertractabimus. Quare hoc loco id potius mihi propositum est, ut sectionem caesaream ante membranas ruptas institutam fere semper felicissimo eventu frui ostendam.

Ut Kayser affert, 21 in casibus, in quibus ante membranas ruptas sectio caesarea instituta est, 14 matres servatae sunt, ita ut ratio sit $^{14}/_{21}$ = p. c. 66,66; 19 in casibus, in quibus infantis mentio fit, 18 infantes vitam servarunt, unde ratio est $^{18}/_{19}$ = p. c. 94,73.

Kaysero vero auctore, ratio felicium matri casuum et omnium = $^{128}/_{338}$ = p. c. 37,87; ratio felicium infanti casuum et omnium $^{195}/_{281}$ = p. c. 69,39, unde quod ad matrem attinet, rationes ita inter se discrepare elucet, ut $^{14}/_{21}$ — $^{128}/_{338}$ p. c. 66,66 — 37,87; quod ad infantem attinet $^{18}/_{19}$ — $^{195}/_{281}$ = p. c. 94,73 — 69,39. Quod ex meis comparationibus sequitur, 11 in casibus 9 matres superstites fuerunt, ita ut ratio sit $^{9}/_{11}$ = p. c. 81,81; infantium item 9 servati sunt, unde eadem est ratio $^{9}/_{11}$ = p. c. 81,81.

Deinde 117 sectionum caesarearum 56, quod ad matrem attinet, feliciter evenisse, ita ut ratio sit $^{56}/_{117}$ = p. c. 47,94; quod ad infantem attinet, 117 casuum 78 felices fuisse inveni, ita ut ratio sit $^{78}/_{117}$ = p. c. 66,66.

Unde felicium rationes casuum, quod ad matrem attinet, et omnium ita inter se discrepare, ut 81,81 — 47,94, quod attinet ad infantem, 81,81 —66,66 inter se discrepare apparet.

Quae cum ita sint, et ex Kayseri et ex meis comparationibus operationem ante ruptas membranas institutam et matri et infanti felicius evenire colligimus. Praeterea si operationem rarissime in tempore institutam esse nobiscum reputamus, fieri non potest, quin iis plane assentiamur, qui infelicis sectionum caesarearum eventus causam in operatione post membranas ruptas instituta inprimis

quaerendam esse statuant. Denique his comparationibus alias quasdam observationes addere mihi liceat.

Quae cum sectionum in Anglia et in Francogallia institutarum medium tempus inter partus initium ruptasque membranas et operationem praeterlapsum enarrant, haud scio an aliquid valeant. Kayser 17 in casibus, Anglos, quod est medium tempus, 68 horis post initium partus praeterlapsis operationem instituisse, ex sua autem comparatione medium tempus post initium partus praeterlapsum omnium sectionum a se collectarum, 50 horarum fuisse affert. Deinde Anglos, quod est medium tempus, 28 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectionem instituisse et omnium sectionum medium tempus a se collectarum 22 horarum fuisse tradit. Quae cum ita sint, propter levem hanc dicrepantiam — 28 et 22 horarum — in eorum sententiam se discedere non posse Kayser affirmat, qui sectionem caesaream in Anglia institutam prae ceteris terris propterea maxime secus evasisse statuant, quod operatio diutius, quam apud eos retardata sit. Sed alia sunt ea, quae ipse inde ab anno 1840 inveni. Angli 8 in casibus 55 horis, quod est medium tempus, post partus initium praeterlapsis sectionem caesaream instituerunt. Sed omnium a me collectarum sectionum caesarearum medium tempus ab initio partus usque ad operationem praeterlapsum fuit 41 horarum. Deinde Angli 33 horis, quod est medium tempus, post ruptas membranas praeterlapsis sectionem caesaream instituerunt. Contra omnium a me collectarum sectionum caesarearum medium tempus inter membranas ruptas et operationem fuit 16 horarum. Concedo quidem, discrepantiam illam sectionum caesarearum in Anglia et ceteris in terris institutarum medii temporis inter initium partus et operationem praeterlapsi et quam Kayser invenit — 68 — 50 — et quam ego — 55 — 41 — nullius momenti esse, quoniam uteri contractiones per se ipsas non nocere demonstravimus. Sed cum medium tempus inter membranas ruptas et operationem praeterlapsum sectionum caesarearum apud Anglos et ceteris in terris institutarum ita inter se discrepet, ut 33 et 16: sectionis caesareae eventus in Anglia prae ceteris terris maxime infelicis causam in eo potissimum quaerendam esse affirmare nobis licebit, quod Angli serius post membranas ruptas, quam nos, sectionem caesaream instituere soleant.

Denique quod ad medium tempus attinet, in sectionibus caesareis a Francogallis inde ab anno 1840 institutis inter membra-

nas ruptas et operationem praeterlapsum, 25 horarum inveni. Omnium sectionum caesarearum inde ab anno 1840 a me collectarum medium tempus inter ruptas membranas et operationem praeterlapsum, fuit 16 horarum. Quibus ex comparationibus, sectionis caesareae eventus apud Francogallos quoque prae nobis maxime infelicis causam inde inprimis repetendam esse jure affirmabimus, quod Francogallos post membranas ruptas serius, quam apud nos sectio caesarea institui soleat.

Deinde vero sectionis caesareae eventus ex pelveos spatiis conditionibusque diligenter explorandis valde pendet. Quae si accuratissime investigari non possunt, interdum fit, ut medicus, cum alia quadam ratione matris vitam minus in periculum vocante infantem in lucem se prolaturum esse speret, sectioni caesareae vel usum forcipis, vel perforationem vel cephalothrypsin etc. praemittat. Quibus ambagibus plurimum noceri et matri et infanti ex his comparationibus elucebit.

Kayser affert, 32 matrum ante sectionem caesaream aut forcipis usu aut versione vexatarum, 21 obiisse, 28 infantium 23 periisse, ita ut mortalitas matrum sit $^{21}/_{32}$ = p. c. 65,62, infantium $^{23}/_{28}$ = 82,14. Omnium vero matrum sectione caesarea partu liberatarum mortalitas est $^{210}/_{338}$ = p. c. 62,13. Qua ex levi rationum differentia Kayser apparere arbitratur, forcipis usum vel versionem ante sectionem caesaream institutam matri haud magnopere nocere.

Omnium vero infantium mortalitas est $^{136}/_{420}$ = p. c. 32,38. Qua ex magna rationum differentia forcipis usum vel versionem infanti valde nocere apparet.

Ex meis observationibus haec inveni:

16 matrum ante sectionem caesaream aut forcipis usu aut versione vexatarum, 14 obierunt, ita ut mortalitas sit $^{14}/_{16}$ = p. c. 87,5, 16 infantium 14 obierunt, unde eadem mortalitas $^{14}/_{16}$ = p. c. 87,5. Omnium vero matrum mortalitas, quam ex mea collectione inveni, est $^{61}/_{117}$ = p. c. 52,13., infantium $^{39}/_{117}$ = p. c. 33,33., unde alia matris partu liberandae tentamina sectioni caesareae praemissa et matri et infanti valde perniciosa esse elucet, cum rationes ita inter se differant, ut $^{14}/_{16}$ — $^{61}/_{117}$ = p. c. 87,5 — 52,13 et $^{14}/_{16}$ — $^{39}/_{117}$ = p. c. 87,5 — 33,33.

Atque persuasum habeo, ea, quae ipse inveni, propius ad verum accedere iis, quae Kayser cognovit, cum forcipis usu et ver-

sione matris vires infirmari et genitalia irritari atque ad inflammationem propensa reddi nemo negare possit.

Magni momenti sunt ea, quae iis in casibus inveni, in quibus Angli et Francogalli sectioni caesareae alia matrum partu liberandarum tentamina praemiserunt.

Angli enim 10 ex casibus quater vel forcipe vel versione etc. ante sectionem caesaream usi sunt, ita ut ratio sit $\frac{4}{10}$ = p. c. 40,00. Francogalli 25 ex casibus quater alia ante sectionem caesaream tentarunt, unde ratio est $\frac{4}{25}$ = p. c. 16,00.

Jam cum, ut supra monui, 117 sectionum caesarearum, inde ab anno 1840 annalibus traditarum, 16 sint notae, quibus alia matrum partu liberandarum tentamina praecesserint, atque Angli 10 ex casibus, Francogalli 25 ex casibus quater vel forcipe vel versione ante sectionem caesaream usi sint:

117 — (25 + 10) = 82 sectionum caesarearum reliquis in terris institutarum 8 fuisse apparet, quibus alia matrum partu liberandarum tentamina praecesserint, unde ratio $\frac{8}{82}$ = p. c. 9,75.

Quas rationes — (apud Anglos $\frac{4}{10}$ = p. c. 40,00, apud Francogallos $\frac{4}{25}$ = p. c. 16,00, aliis in terris $\frac{8}{82}$ = p. c. 9,75) — si comparamus, in Anglia sectioni caesareae alia matris partu liberandae tentamina multo saepius praemissa esse intelligimus, quam in Francogallia atque hac in terra saepius, quam aliis in terris.

Sed cum et Anglos et Francogallos eadem pelveos spatiorum conditionumque accurate explorandarum arte quam nos excellere atque quando sectio caesarea instituenda sit, non minus, quam nos, intelligere statuendum sit: propterea maxime alia sectioni caesareae tentamina saepissime praemisisse mihi videntur, quod sectioni caesareae parum fidunt atque eam instituere nimis verentur. —

Fuerunt qui praeter eas, quas memoravimus, periculorum cum sectione caesarea conjunctorum causas eo insuper periculum adduci contenderent, quod tam saepe in secandis tegumentis abdominis cavi linea alba non incideretur.

Ita qui sentiunt, hoc argumento nituntur, quod si alio loco, quam in linea alba sectio instituatur, haemorrhagiae adduci possint periculosae. Kaysero 203 casus noti fuerunt, in quibus, quo loco incisio facta esset, accurate notatum erat. 147 casuum, in quibus incisio aut in ipsa linea alba aut prope eam instituta est, 83 letales fuerunt, unde ratio est $\frac{83}{147}$ = p. c. 56,46. 35 in casibus incisio lateralis longitudinalis adhibita est, quorum 25 letales, un-

de ratio est $^{25}/_{35}$ = p. c. 70,42. In ceteris 21 casibus incisio vel transversa vel obliqua vel diagonalis adhibita est, quorum 13 letales, unde ratio $^{13}/_{21}$ = p. c. 61,42. Deinde Kayser 338 sectionum caesarearum 210 letales fuisse affert, ita ut ratio sit $^{210}/_{338}$ = p. c. 62,13.

Quibus ex comparationibus sectionem in linea alba institutam reliquis praeferendam esse colligi oportet. Jam meae observationes, inde ab anno 1840 institutae, cum iis, quae Kayser invenit, plane consentiunt.

106 enim sectionum caesarearum 94 traditae sunt, in quibus incisio aut in linea alba aut prope eam adhibita sit, quarum quidem 41 letales fuerunt, ita ut ratio sit $^{41}/_{94}$ = p. c. 43,61. 10 in casibus incisio lateralis longitudinalis adhibita est, quorum 6 letales, unde ratio $^{6}/_{10}$ = p. c. 60,00. In ceteris 2 casibus incisio vel transversa vel diagonalis adhibita est, quorum 1 letalis fuit, unde ratio $^{1}/_{2}$ = p. c. 50,00.

Deinde 117 sectionum caesarearum, inde ab anno 1840 institutarum, 61 letales fuisse inveni, ita ut ratio prodeat $^{61}/_{117}$ = p. c. 53,84.

Quare cum et Kayseri et meae comparationes consentiant, eorum sententiam veram esse persuasum habeo, qui sectione alio loco, quam in linea alba adhibita, pericula, inprimis haemorrhagiae pericula adduci contendunt, cum epigastrica vel graves saltem ejus rami laedantur.

Quod eo periculosius erit, quo gravior erit haemorrhagia incisione uteri effecta.

Alia deinde oritur quaestio, utrum uteri quoque incisio in linea alba, an alio loco adhibenda sit.

Cum interdum fiat, ut placenta in ipsa linea alba sedem habeat atque id statim post tegumentorum incisionem saepe cognosci possit: ab incisione uteri in linea alba facienda nos abstinere facile cupiamus, cum gravem haemorrhagiam secuturam esse exspectandum sit.

Sed placentae laesionem periculosam non esse, ex comparationibus, inde ab anno 1750 usque ad annum 1840 institutis, plane elucet.

19 in casibus placenta laesa est, ita ut haemorrhagia gravis exorta sit. Sed 12 tantum matres perierunt, ita ut mortalitas sit $^{12}/_{19}$ = p. c. 63,15. Mortalitas omnium sectione caesarea matrum, inde ab anno 1750 usque ad annum 1840 partu liberatarum, est

$^{210}/_{338}$ = p. c. 62,13. Quae differentia tam levis est, ut placentae laesionem per se ipsam matrem in periculum non vocare jure affirmari possit. Cum vero, ut supra demonstravimus, incisio in linea alba praeferenda sit atque congruens uteri incisio perniciosa non sit, jure eorum sententiam sequemur, qui sectionem caesaream eo incertam reddi arbitrantur, quod et tegumentorum et uteri incisio non semper in linea alba adhibita sit.

Quod igitur tam multi metuerunt, ne placenta laesa periculum matri afferret, comparationibus supra institutis refutatum est. Sed cum eas sectione caesarea haemorrhagias excitari posse nemo nesciat, quae matri mortem celeriter afferre possint, facile quispiam quaesiverit, quae tandem sint causae illarum haemorrhagiarum. Praeter epigastricae vel ejus ramorum laesionem graviorum supra jam memoratam, contractiones uteri post sectionem caesaream imperfectas gravissimam esse causam moneo. —

Denique prolapsum intestinorum fuerunt qui matri in sectione caesarea periculum afferre statuerent, ne nimium aëris accedat, veriti.

Quod num revera periculosum sit, optime dijudicare licebit, si, quamdiu operatio singulis in casibus duraverit, diligentius comparaverimus.

Omnium sectionum caesarearum, inde ab anno 1750 usque ad hunc diem annalibus traditarum, 42 in casibus tempus aut ab incisione tegumentorum usque ad finem partus, aut inde ab incisione tegumentorum cavi abdominis usque ad vincturam finitam praeterlapsum notatum erat.

33 casuum medium tempus ab incisione tegumentorum usque ad vincturam finitam praeterlapsum paulo plus 28 minutis fuit. Quorum 33 casuum 12 matri feliciter evenerunt. Medium tempus in his 12 casibus paulo plus 27 minutis fuit; 21 matri infeliciter evenerunt, medium tempus paulo plus 28 minutis fuit.

13 casuum medium tempus ab incisione tegumentorum usque ad partus finem praeterlapsum paulo plus 6 minutis fuit, cum minutarum summa in his 13 casibus esset 87 minutarum. 3 felicium casuum medium tempus fuit 5 minutarum, 10 infelicium paulo plus 7 minutis.

Quibus ex comparationibus non multum interesse elucet, utrum operationis tempus sit longum, an non, vel potius utrum aër diu accedat, an non. Ut hac de re certiores fiamus, omnes hos casus in tres classes dividamus, quarum prima illos casus contineat, in

quibus operationis tempus non diutius, quam 15 minutarum inde ab incisione tegumentorum, cavi abdominis usque ad vincturam finitam duraverit, secunda illos, in quibus operationis tempus non diutius, quam 30 minutarum duraverit et tertia illos, in quibus operationis tempus diutius, quam 30 minutarum duraverit.

Qua ratione haec invenimus: Primae classis sunt 10 casus, quorum medium tempus paulo plus 14 minutis est. 3 felicium casuum medium tempus paulo plus 14 minutis fuit, 7 infelicium casuum item paulo plus 14 minutis. Felicium igitur et omnium casuum ratio est $^{3}/_{10}$ = p. c. 30,00. Felicium autem et omnium casuum, inde ab anno 1750 usque ad hunc diem collectorum, ratio est $^{190}/_{478}$ = p. c. 39,53.

Secundae classis sunt 13 casus, quorum medium tempus paulo plus 23 minutis. 4 felicium casuum medium tempus paulo plus 22 minutis, 9 infelicium casuum paulo plus 23 minutis. Felicium horum casuum et omnium ratio est $^{4}/_{13}$ = p. c. 30,76.

Tertiae classis sunt 9 casus, quorum medium tempus 50 minutarum est. 4 felicium casuum medium tempus 45 minutarum, 5 infelicium 58 minutarum. Felicium et omnium casuum ratio est $^{4}/_{9}$ = p. c. 44,44.

Quibus ex comparationibus, quamdiu operatio duraverit, minime interesse intelligimus, cum etiam in iis casibus, in quibus operatio diutius, quam 30 minutas duravit, eventus sectionis caesareae infelicior non fuerit, quam ex omnium casuum, usque ad hunc diem annalibus traditorum, ratione prodit.

Jam breviter causas periculorum cum sectione caesarea conjunctorum comprehendentes, eas potissimum sitas esse invenimus

1. in prava matris conditione,
2. in fracto ejusdem animo,
3. in retardata operatione post membranas ruptas
4. in perversis tentaminibus matris partu liberandae sectioni caesareae praemissis,
5. in eo quod linea alba non semper incisa est,
6. denique in deficientibus uteri contractionibus post sectionem caesaream institutam.

Ita primae commentationis partis ad finem perveni, qua causae periculorum cum sectione caesarea conjunctorum pertractatae sunt. Jam vias rationesque ostendere meum est, quibus hae causae removeri possint.

Quas a nobis maxima ex parte tolli posse, plane persuasum

habeo ac tum potissimum, si gravidae quam maturissime nostrae curae se tradunt. Quo facto invalidae matris constitutioni paulum firmandae satis vacamus, quod fieri nequit, si gravidae imminente demum partu nobis committuntur. Quae vero ad servandam constitutionem in rhachitide et in osteomalacia etc. adhibenda sint, cum nemo non compertum habeat, praetermittenda esse arbitror.

Sed diligentius hoc loco inquirendum est, qua ratione animus matris fractus recreari possit. Nam, ut supra vidimus, fuerunt, qui pravas hujus causae periculorum, cum sectione caesarea conjunctorum, removendae rationes proponerent.

Quantum equidem video, duabus rationibus hoc periculum evitari potest, aut ita, ut celanda sectione caesarea imminente, cum a nobis eam partu feliciter liberatum iri promittamus, animum anxium sedemus, aut ita, ut sectionem caesaream evitari non posse mature cum ea communicemus.

Priorem illam rationem sequar, si, quod infra diligentius tractabo, matrem chloroformi inhalatione sopire tentaturus sum.

Hac ratione assidue consolando et persuadendo sectionis caesareae et periculorum et dolorum imminentium metum minui licebit.

Deinde cum gravidae satis mature curae nostrae se committunt, operationis retardatae periculum evitamus, cum id ipsum tempus sumere liceat, quod operationi optime conveniat.

Jam quaeritur, quo tempore operatio instituenda sit. Cum sectionis caesareae ante ruptas membranas institutae optimum fuisse eventum supra demonstraverimus, id ipsum tempus ad operationem aptissimum esse affirmaverim, quo uteri orificium latissime pateat. Sed fieri potest, ut hoc tempus ad operationem aptissimum adsit nocte, qua sectionem caesaream non libenter instituimus. Quodsi accidit, quaestio oritur, num operatio usque ad primam lucem retardata et matri et infanti multum noceat.

Cum non serius, quam 6 horis post membranas ruptas praeterlapsis sectionem caesaream instituamus, hanc retardationem haud ita multum nocere, sin serius, quam 6 horis post ruptas membranas praeterlapsis sectio caesarea instituatur, plura pericula afferri et matri et infanti ex comparationibus supra institutis intelligimus.

Quae cum ita sint, si 6 horis praeterlapsis prima lux exspectari possit, sectionem caesaream usque ad id tempus jure retardari arbitror, sed non item, si serius quam 6 horis post ruptas membranas praeterlapsis dies lucescet.

Denique cum gravidae satis mature nostrae curae se commise-

rint, plerumque fieri non poterit, ut ante sectionem caesaream alia ad matrem partu liberandam tentare inducamur, cum pelveos spatiis et viis saepe accuratissime perquirendis satis vacemus.

Postquam igitur tria illa pericula ita evitari posse ostendimus, ut gravidae satis mature nostrae curae se committant, restat, ut, quomodo hoc effici possit, intelligamus. Quod tribus rationibus fieri posse arbitror.

Atque primum quidem medici est, ubicunque gravidam aliquam via naturali partu liberari non posse suspicetur, et cum parentibus ejus, tutoribus, propinquis et cum magistratu id communicare, ut illi medicum adhibendum satis mature curent, hic, ubi aut medici praescripta non servantur aut penuriae acerbitas vel exiguos sumtus fieri vetat, ut gravidae medici curae satis mature tradantur, potestate sua efficiat et juvet inopes.

Sed cum fieri possit, ut gravidae ne despiciantur vel ne derideantur metuentes, hominum conspectum fugiant, qua ratione hoc prohibeatur, curandum est. Quae quidem si tutum aliquod refugium invenire possent, ubi graviditatem suam celatum iri et benigniter liberaliterque se tractatum iri sperarent, inopiae conscias ejusmodi refugia adire numquam cunctaturas esse persuasum habeo. Atque sunt nosocomia nostra ea, in quibus gravidae, neque derisae neque despectae, partu liberari possint. Sed quod praejudicata vulgo opinione ducuntur, quasi ipsis in illis nosocomiis aspere maleque tractentur, eo plerumque deterrentur, ne satis mature ejusmodi institutum obstetricium adeant. Quae quidem opinio praeconcepta quanto jure nitatur, equidem non judicaverim. Sed adest, atque etsi prorsus non semper tolli, tamen ita saltem minui potest, ut, qui ejusmodi institutis praesunt, curae suae commissas benignissime liberalissimeque tractare studeant.

Ita sublata opinione illa praeconcepta judicioque sano increbrescente, eos casus, in quibus gravidae, quamvis auxilio celeriter se indigere sciant, tamen, ne despiciantur vel ne derideantur metuentes, hominum conspectum fugiant neque mature medico vel nosocomiorum praefectis se committant, multo rariores fore jure exspectare licet.

Sed fieri potest, ut gravidae, quarum corpus inspiciens pelvim angustissimam esse non suspiceris, et ipsae hoc nescientes, graviditatis finem securae exspectent atque medicum mature adhibendum non curent.

Quod si accidit, ut operatio saltem suo tempore instituatur,

una haec ratio restat, ut obstetrices, ubicunque in pelveos viis perquirendis matrem via naturali partu liberari non posse vel levissima suspicio orta sit, statim medicum consulere jubeantur.

Qua una ratione retardatae operationis pericula evitari posse arbitror. —

Jam quod attinet ad causas, quibus periculosae haemorrhagiae, quae cum sectione caesarea jungi possunt, adducuntur, in iis arteriarum graviorum, ut epigastricae ejusque ramorum laesionem numerandam esse jam supra monuimus. Quae quidem haemorrhagiae quomodo evitari possint, hoc loco quaerendum est.

Cum incisionem in linea alba optime institui sciamus, quia hac incisione arteriae graves non laeduntur, periculum illud ita fugimus, ut incisionem tegumentorum cavi abdominis semper in linea alba, vel prope eam instituamus. Quamquam fuerunt, qui sectionem caesaream, nisi longitudinali laterali, diagonali, transversali obliqua incisione singulis in casibus institui non posse contenderent.

Quod fieri posse non nego, praesertim si uterus cum peritoneo coaluerit, quod cum mater jam antea sectione caesarea partu liberata sit accidere saepe invenimus, atque is situm praebeat obliquum in abdominis cavo.

Sed item negari non potest, multis in casibus, usque ad hunc diem traditis, ab re eas incisiones adhibitas esse, quibus partes tegumentorum cavi abdominis laterales laederentur atque haemorrhagiae perniciosae efficerentur.

At fuerunt, qui, quamvis in linea alba incisionem facturi essent, tamen solo obliquo uteri situ permoti, ab hac incisione abstinerent.

Ego vero his in casibus, nisi uterus et peritoneum coaluerint, ita paullatim uterum in mediam partem cavi abdominis manu pelli posse arbitror, ut incisionem, aut in ipsa linea alba, aut prope eam, facere nobis liceat.

Gravius etiam fit haemorrhagiae periculum, si sectione caesarea instituta uterus non satis se contrahit. Quod ut tollatur, variae propositae sunt rationes. Alii medicamentorum intus adhibitorum prosperum eventum fuisse observaverunt et in iis quidem casibus, in quibus haemorrhagia haud ita vehemens, attamen continua esset. Alii externa remedia adhibenda esse statuerunt. Quae quidem plurimum valere mihi videntur.

Inter quae numerandum est, vel manibus, vel spongiis aqua

gelida conspersis, vel globis glacialibus in uteri cavum inductis, uterum tritum adeo excitari posse, ut celeriter fortiter se contrahat.

Fuerunt etiam, qui uteri vulnus consuendum esse censerent. Quod utrum probandum sit, an non, ex comparationibus statim apparebit. 6 matrum, quantum comperi, quarum uteri vulnus consutum est, 4 servatae sunt, 2 perierunt. Mortalitas igitur est $^{2}/_{6}$ = p. c. 33,33. Mortalitas omnium vero matrum, sectione caesarea inde ab anno 1750 usque ad hunc diem partu liberatarum, est quod supra intelleximus, $^{288}/_{478}$ = p. c. 60,28.

Unde uteri vulnus consuendum esse elucet. —

Jam ad adducendum prosperum sectionis caesareae eventum intestinorum prolapsum non multum valere supra ostendimus. Qui cum nihilominus impedimento sit, medici ad eum evitandum proposuerunt, ut aut manibus aut spongiis intestina mature retineantur vel reprimantur. Utra ratio praeferenda sit, ex his comparationibus apparebit.

Inde ab anno 1750 usque ad hunc diem 105 in casibus medici intestina manibus vel retinere vel reprimere studuerunt, 55 autem matres perierunt, ita ut mortalitas sit, $^{55}/_{105}$ p. c. 52,38. 25 in casibus medici intestina spongiis vel retinere vel reprimere studuerunt, 13 autem matres perierunt, unde ratio est $^{13}/_{25}$ = p. c. 52. Unde utram rationem sequamur, haud multum interesse intelligimus.

Jam vero ut intestinorum prolapsum cavendum esse intelleximus, ita quominus in incisione tegumentorum et uteri aut sanguis aut liquor amnii in cavum abdominis penetret, impedire interest. Quod ut fiat, hae rationes propositae sunt.

Inter alios Metz ante sectionem caesaream membranas per vaginam rumpendas esse statuit. Qua ratione quamquam quominus liquor amnii in cavum abdominis penetret prohibetur, tamen post membranas ruptas utero fortius se contrahente, ne infanti extrahendo difficultates saepe obstent, verendum est. Ita Kilian, ut infantis caput utero pervicaciter retentum liberaret, forcipem adhibere, alii uteri vulnus dilatare coacti sunt.

Unde rationem a Metz propositam habere elucet et quod prosit et quod noceat.

Quare ubi membranas in uteri vulnere rumpimus, quominus liquor amnii in cavum abdominis profluat si prohibere poterimus, membranas per vulnus rumpi praeferendum erit. Legenti mihi sectionum caesarearum descriptiones, saepe occurrit, medicos ante

uteri incisionem eum in vulnus propulisse atque incisionis initium ab inferiore uteri parte repetiisse, quo, quominus liquor amnii in cavum abdominis proflueret, impeditum est.

Qua ratione cum simul assequamur, ut ne sanguis quidem in abdominis cavum influat, eorum sententiam sequar, qui ne fluida in abdominis cavum influant, uterum in vulnus manibus propellendum atque incisionem ab inferiore parte uteri repetendam esse statuant.

Sed non semper prohiberi potest, quin vel sanguinis vel amnii liquoris aliquid in abdominis cavum influat. Quod removeri cum magni intersit, medici variis rationibus id tollere conati sunt.

Alii, ne tegumentorum cavi abdominis vulnus consueretur, suaserunt. Alii suturam praeferendam esse censuerunt atque turundam vel linteum in inferiorem vulneris partem inducendum commendarunt. Alii, ut lochia simul expedite profluerent, placentam non ex vulnere, sed per vaginam removendam esse statuerunt.

Sed placentam per vaginam rarissime removeri posse persuasum habeo. Vix enim pelvis manum induci patitur, ut placenta arrepta extrahi possit. Neque si placentam removendam naturae permitteremus, per vaginam, sed per vulnus propelleretur.

Quare ii, qui placentam per vaginam removendam esse statuerunt, id egisse videntur, ut manu in uterum per vulnus inducta, placenta in vaginam vi propelleretur. Quod cum evitandum sit, cum iis facere non possum, qui placentam per vaginam removendam esse statuerunt.

Priorum illarum rationum utra praeferenda sit, ex comparationibus statim apparebit.

Quantum comperi, 68 in casibus turunda vel linteum in inferiorem partem vulneris inductum est. Quo facto 27 matres perierunt, ita ut mortalitas sit $^{27}/_{68}$ = p. c. 39,41.

131 in casibus linteum non inductum est et 74 matres obierunt, ita ut mortalitas sit $^{74}/_{131}$ = p. c. 56,48.

Quae cum ita sint, turundam vel linteum inducendum esse persuasum habeo. —

201 in casibus vulnus consutum est, ita ut 105 matres perirent, unde mortalitas est $^{105}/_{201}$ = p. c. 52,24,

18 in casibus vulnus non consutum est et 9 matres obierunt, unde ratio est $^{9}/_{18}$ = p. c. 50,00.

Quibus ex comparationibus utrum vulnus consuatur an non, non multum interesse intelligimus.

Si quidem vulnus consuendum esse statuis, alia oritur quaestio, utrum peritoneum quoque consuendum sit, an non.

9 in casibus peritoneum consutum est, quo facto 4 matres perierunt, ita ut mortalitas sit $^4/_9$ = p. c. 44,44.

11 in casibus peritoneum non consutum est et 3 matres perierunt, ita ut mortalitas sit $^3/_{11}$ = p. c. 27,27.

Qua ex comparatione peritoneum non consuendum esse elucet.—

Jam priusquam, quae optima sit post operationem medendi methodus, inquiram, pauca de adhibenda chloroformi inhalatione addere mihi liceat.

16 casuum, quantum comperi, in quibus chloroformum vel aether in sectione caesarea adhibitus est, 12 infeliciter matri evenerunt, ita ut mortalitas sit $^{12}/_{16}$ = p. c. 75,00.

Mortalitas matrum, inde ab anno 1840 usque ad hunc diem sectione caesarea partu liberatarum $^{61}/_{117}$ = p. c. 52,13.

15 in casibus, in quibus infantis mentio fit, 10 infantes servati sunt, ita ut mortalitas sit $^5/_{15}$ = 33,33. Omnium vero mortalitas infantium, inde ab anno 1840 sectione caesarea in lucem prolatorum, est $^{39}/_{117}$ = p. c. 33,33.

Aether ter adhibitus est, quo facto et matres et infantes vitam servarunt.

13 in casibus chloroformum adhibitum est, quo facto 12 matres perierunt, unde ratio est $^{12}/_{13}$ = p. c. 92,3.

12 in casibus, ubi chloroformum adhibitum est, 5 infantes perierunt, unde ratio est, $^5/_{12}$ = p. c. 41,66. Quibus ex comparationibus chloroformi inhalationem matri quidem nocere, sed non item infanti, atque aetherem in sectione caesarea praeferendum esse elucet. —

Jam ad tertiam dissertationis partem transeo, qua quae sit optima post operationem medendi methodus, diligentius pertractabitur. Mirum quidem est, quod, ubi reliquis rebus secundis sectio caesarea instituta est, saepe mater obiit, contra, ubi reliquis rebus infaustis, operatio facta est, superstes fuit.

Unde cum medendi methodo maximas partes tribuendas esse colligi liceat, non possum, quin in tertiam hanc dissertationis partem summum studium conferam. Atque primum quidem ad casus, qui apud varios auctores dispersi inveniuntur, describendos transgrediar.

I. Casus felices.

1. Le Bas in femina osteomalacia correpta sectionem cae-

saream instituit [1]). Puerpera nihil sumsit nisi decoctum chinae et vinum. Simul vulneri fomenta adhibita sunt. Femina sanata est.

2. Sommer ante operationem sanguinem misit. Post eam vulneri aceti et decocti chinae fomenta adhibita sunt [2]). In vulnus tepidus ptisanae cremor immissus est. Puerpera sumsit infusum melissae, lapides cancrorum et semen foeniculi.

3. Chabrol sectione caesarea instituta puerperam sumere jussit infusum herbae lactucae virosae cum liquore anodyno minerali Hoffmanni, praeterea potionem sedantem cum syrupo de nymphaea. Simul recreans julepium praescripsit, et alvum clysteribus emollientibus duci jussit. Deinde carminativum et electuarium lenitivum proposuit. Dein mater nitrum cum syrupo florentinae et infuso radicis iridis florentinae sumsit. Denique in vulnus fluida tepida immissa sunt [3]).

4. Winter sectione caesarea instituta primum remedia sedantia praescripsit, vulneri fomenta adhiberi jussit et alvum clysteribus emollientibus duxit [4]). Deinde in cavum abdominis decocta resolventia immisit et frigida medicamenta dedit. Simul sanguinem saepius misit. Infanti mamma matris non prius praebita est, quam mater plane sanata esset.

5. Lauverjat [5]) postquam in femina prima aetate rhachitide admodum affecta sectionem caesaream instituit, sanguinem misit et vulnus pannis laneis, in decocta emollientia immersis, tegi jussit. Simul purgantia praescripsit, alvum clysteribus duxit et infusum florum chamomillae Romanae cum nitro bibi jussit.

6. Stark [6]) sectione caesarea instituta propter haemorrhagiam gelida penicilla adhibuit et praescripsit gelidum medicamentum cum succo papaveris albi. Alvum clysteribus duxit, in vulnus decoctum chinae et florum arnicae immisit; adversus diarrhoeam clysteres, ex decocto chinae et gummi arabico compositi, adhibiti sunt. Vulneri fomenta, ex chinae decocto, ammonio muriatico depurato et camphora composita adhibita sunt. Denique puerpera decocta corticis chinae sumsit.

---

1) Journ. de Méd. de Paris. T. 34. 1770. 8. p. 177.

2) Sommer: Geschichte einer Kaiserzwillingsgeburt. Leipzig 1788.

3) Histoire de la société de Méd. de Paris P. 2. 1777—78. 4. p. 236.

4) Mohrenheim: Wienerische Beiträge. Wien 1781. 8. p. 391.

5) Lauverjat's neue Methode den Kaiserschnitt zu machen übersetzt von Eysold. Leipzig 1790. 8. p. 206.

6) Stark: Zweite tabellarische Uebersicht des Instituts zu Jena 1784. 4.

7. Lauverjat iterum sectione caesarea instituta eadem, quae post priorem operationem, adhibuit[1]).

8. Rhode[2]) post sectionem caesaream institutam primum opium praescripsit, praeterea sal tartari cum succo citri, aqua menthae, syrupo acetoso citri et laudano liquido Sydenhami. Cum puerpera vomitaret, potionem Riverii sumi jussit. Vinctura vino aceti et aqua frigida conspersa est. Deinde enema emolliens ex avenae et chamomillarum decocto compositum praescripsit, cui cochlear olei olivarum addidit. Deinde puerpera infusum corticis peruvianae rubrae cum liquido anodyno minerali Hoffmanni sumsit. Vulnus alvi pulvere corticis peruvianae cum aqua commixta et liquore myrrhae, et melle rosarum conspersum est atque ei unguentum basilicum cum unguento de styrace et pulvere corticis peruvianae impositum. Denique mater mucilaginem salep sumsit.

9. Bacqua[3]) statim post sectionem caesaream institutam in vaginam emollientia immisit; deinde alvum clysteribus ex infuso sennae compositis duxit et vulneri cataplasmata imposuit. Simul in vulnus decoctum chinae immisit. Aquam oryzae cum gummi tragacanthae et syrupo althaeae bibi jussit. Puerpera aquam cardui benedicti cum syrupo florum iridis florentinae et acido vitrioli sumsit.

10. Mangold[4]) sectione caesarea instituta epithemata ex corticis peruvianae decocto et herbarum aromaticarum infuso parata adhiberi jussit et alvun clysmatibus ex ejusdem corticis decocto cum melle, crystallo tartari et succo citreo duxit. Puerpera infusum corticis peruvianae cum tartaro solubili et succo citreo sumsit. Praeterea excitantia adhibita sunt. Quod haemorrhagia ex laesa epigastrica asphyxiam provocaverat, Mangold cinnamomea et vinosa cum corticis peruvianae infuso praescripsit. Simul continuis remediis roborantibus ad reddendum vitae vigorem opus est. Denique puerpera sumsit infusum herbae menthae crispae cum camphora.

11. Lorinser[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera sumsit vinum et tincturam cinnamomi et laudanum.

---

1) Lauverjat's neue Methode den Kaiserschnitt zu machen p. 220.
2) Rhode: relatio de sectione caes. feliciter peracta. Dorpati. 1803. 4.
3) Récueil périodique de la soc. de Méd. etc. P. 4. p. 434.
4) Commentationes societatis reg. Gotting. Vol. 2. Gotting. 1813. 4. p. 19.
5) Siebolds Journal etc. Bd. 3. p. 106.

Vinctura vino calido humectata est. Ne puerpera vomeret, Lorinser potionem Riverii et opium adhiberi jussit. Super vulnere fomenta aromatica cum vino mixta reposita sunt. In vaginam inspersum est, et clysmata jussa sunt. Puerpera infusum chinae cum opio et vino sumsit.

Chapuis [1]) in femina rhachitide prima aetate affecta sectionem caesaream instituit. Deinde alvum clysmatibus duci jussit. Puerpera laxantia sumsit. Alvus linimento volatili infricata est.

13. Velten [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera infusum chinae cum opio, aqua cinnamomea et liquore minerali anodyno Hoffmanni sumsit. Alvus clysmatibus ducta est.

14. Locher [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater emulsionem cum laudano liquido Sydenhami et tinctura cinnamomi sumsit. Alvus oleo anodyno extracto hyoscyami et laudano infricata est. Deinde puerpera decoctum pulpae tamarindorum cum sale tartari et manna, denique analeptica sumsit.

15. Meyer [4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera oleum amygdalarum dulcium cum syrupo diacodii, dein extractum hyoscyami cum aqua hyssopi, dein syrupum althaeae cum mucilagine gummi arabici et sulfure aurato, dein emulsionem seminum papaveris albi cum aqua hyssopi, camphora et mucilagine gummi arabici, denique lichen parietale cum melle graminis et syrupo cinnamomi sumsit. Alvus clysmatibus ducta est et super vulnere herbarum aromaticarum infuso conspersi panni lanei repositi sunt.

16. Merrem [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem amygdalarum cum nitro et syrupo althaeae, dein calomel cum opio, dein decoctum althaeae cum aqua menthae piperitae, dein infusum chinae cum spiritu muriatico aethereo, dein mixturum salepis cum aqua communi, tinctura opii et tinctura valerianae,

1) Michaelis p. 114. obs. 12.
2) Gräfe und Walther's Journal. Bd. 11. p. 550.
3) Medico-chirurgical transactions. Vol. 11. London 1818.
4) Siebold's Journal etc. Bd. 3. p. 227 und 291.
5) Rust's Magazin f. d. ges. Heilk. Bd. 17. p. 315.

dein radicem althaeae cum radice polygalae amarae et extracto hyoscyami, denique mixturam oleoso-balsamicam cum syrupo althaeae sumsit. Mammae matris exsuctae sunt. In vaginam herbae conii maculati decocta inspersa sunt. Alvus clysmatibus ex sennae infuso et oleo Ricini compositis ducta est. Super vulnere panni lanei decocto chinae conspersi repositi sunt. Hirudinibus duodecim sanguis missus est.

17. Zentel[1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater mixturam antiphlogisticam sumsit. Alvus clysmatibus ducta est. Super vulnere balsamus Arcaei repositus est.

18. Fischer[2]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater primum infusum chinae cum aqua menthae piperitae, naphtha acetica et syrupo diacodii, dein infusum caryophyllatae cum extracto chinae, extracto hyoscyami et spiritu nitrico aethereo, dein tincturam camphoratam cum tinctura castorei, denique infusum e seminibus phellandrii cum aqua foeniculi, tinctura castorei et spiritu nitrico aethereo sumsit. Alvus clysmatibus ducta est. Super vulnere panni lanei infuso herbarum aromaticarum conspersi repositi sunt.

19. Schmidt[3]) post operationem antiphlogistica, imprimis calomel sumi jussit. Simul alvus clysmatibus ducta est.

20. Spitzbarth[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera primum tincturam thebaicam cum spiritu nitrico dulci, dein emulsionem cum oleo, gummi arabico et cremore tartari, dein emulsionem cum liquore cornu cervi, denique infusum chinae sumsit. Vinctura aqua rosarum cum aqua saturni conspersa est. Corpus matris vino calido lavatum est.

21. Mueller[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera laudanum et decoctum chinae cum opio sumsit. Alvus clysmatibus ducta est. Super vulnere panni lanei infuso corticis chinae cum tinctura myrrhae et laudano humectati repositi sunt.

---

1) Rust's Magazin Bd. 14. p. 511.

2) Harless: Rheinische Jahrbücher f. Medicin und Chirurgie Bd. 5. St. 3. Elberfeld 1822. 8. p. 108.

3) Rust's Magazin Bd. 14. p. 87.

4) Siebold's Journal Bd. 3. p. 80.

5) Rust's Magazin Bd. 28. p. 146.

22. Zeuch[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera extractum hyoscyami cum vino antimoniali sumsit.

23. Schenck[2]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera primum opium, dein emulsionem papaverinam cum extracto hyoscyami et syrupo Rubi Idaei, dein oleum Ricini cum syrupo aurantiorum, dein aquam foeniculi cum aqua melissae, gummi arabico, syrupo althaeae et elixirio acido Vogelii, denique infusum chinae sumsit. Alvus clysmatibus ducta est.

24. Schenck[3]) iterum in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera opium, purgantia et infusum chinae sumsit. In vaginam infusum herbae hyoscyami inspersum est.

25. Vonderfuhr[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera infanti mammam praebere jussa est.

26. Engeltrum[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem bis venam incidit. Puerpera aquam corticis aurantiorum cum mucilagine gummi arabici, syrupo papaveris albi et spiritu cornu cervi, dein camphoram cum calomelle et sale sedat. Hombergi, denique electuarium lenitivum sumsit. Alvus clysmatibus ducta est. Engeltrum hirudinibus sanguinem misit et super vulnere pannos laneos decocto chinae humectatos reponi jussit. Clysmatibus natrum sulfuricum depuratum subjecit.

27. v. Graefe[6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera aquam laurocerasi cum aq. amygdalarum dulcium et extracto hyoscyami, dein oleum Ricini, dein tincturam thebaicam cum spiritu sulfurico aethereo et aqua piperita, denique tincturam opii cum infuso valerianae et spiritu sulfurico aethereo sumsit. v. Graefe venam matris incidit et puerperam infanti mammam praebere jussit. Alvus

---

1) Salzburger med. Zeitung 1824 p. 286.
2) Siebolds Journal Bd. 5. p. 461.
3) Ibidem Bd. 6. p. 377.
4) Rust's Magazin Bd. 16. p. 54.
5) Gemeinsame deutsche Zeitschrift Bd. 4. p. 128.
6) Gräfe und Walthers Journal d. Chir. und Augenheilkunde Bd. 9. 8. Berlin 1826. p. 51.

clysmatibus ducta est. Vulneri fomenta ex infuso florum chamomillae composita adhibita sunt.

28. Wolff[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera tincturam opii cum spiritu sulfurico aethereo, dein calomel cum opio, dein infusum valerianae cum gummi mimosae et Kali nitrico, dein infusum chinae cum spiritu sulfurico aethereo denique emulsionem papaverinam cum tinctura opii sumsit. Alvus clysmatibus ducta est. In vaginam decoctum salicis cum acido muriatico diluto inspersum est.

29. Zwanck[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera decoctum althaeae cum syrupo diacodii, oleo olivarum et nitro, dein morphium aceticum, dein decoctum althaeae cum oleo olivarum et amygdalarum et syrupo rhei, denique decoctum chinae cum camphora sumsit.

30. Merrem[3]) iterum in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera mixturam oleoso-balsamicam cum tinctura opii sumsit. Genitalibus fomenta ex infuso florum sambuci et herbae conii maculati adhibita sunt. Puerpera infanti mammam praebere jussa est. Alvus matris clysmatibus ducta est et hirudinibus sanguis missus est.

31. Metz[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem vena matris incisa est, hirudinibus sanguis missus est et alvus clysmatibus ducta est.

32. Jäggy[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera primum emulsionem gummi arabici cum oleo papaveris albi et nitro, dein emulsionem gummi arabici cum aqua laurocerasi et Kali oxalico; denique decoctum chinae cum aqua laurocerasi sumsit. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricari jussit. Vulneri fomenta ex infuso florum chamomillae et lacte composita adhibita sunt. Alvus clysteribus oleosis ducta est. Vulneri siccae cucurbitulae adhibitae sunt.

---

1) Siebold's Journal. Bd. 9. p. 584.
2) Michaelis p. 122 obs. 37.
3) Gemeinsame deutsche Zeitschrift. Bd. 3. p. 321.
4) v. Siebold's Journal. Bd. 1. p. 1.
5) Siebold's Journal f. Geburtshülfe. Bd. 9. p. 693.

33. Johannknecht [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera tincturam opii simplicem, infusum florum chamomillae et herbae hyoscyami; emulsionem amygdalarum dulcium cum aqua laurocerasi, infusum radicis valerianae cum aethere sulfurico sumsit. Super alvo panni lanei in infusum specierum resolventium immersi repositi sunt. Dein puerpera emulsionem amygdalarum dulcium cum tinctura opii, dein emulsionem gummi mimosae cum liquore ammonii acetici et tinctura opii, denique infusum chinae cum tinctura valerianae aetherea sumsit.

Johannknecht hirudinibus sanguinem mitti jussit, alvum clysteribus ex infuso florum chamomillae et extracto hyoscyami compositis duxit et in vaginam infusum florum chamomillae cum extracto hyoscyami inspersit.

34. Neuber [2]) sectione caesarea instituta tincturam opii primum, dein potionem Riverii cum opio sumi jussit.

35. Weidemann [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera tincturam opii cum liquore minerali anodyno Hoffmanni; decoctum althaeae cum oleo amygdalarum dulcium et sale mirabili; infusum chinae cum acido phosphorico et tinctura opii sumsit. Mater statim post operationem institutam infanti mammam praebuit. Alvus clysteribus ducta est. In vulnus unguentum cereum infricatum est.

36. Michaelis [4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera vinum et tincturam thebaicam sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

37. Vonderfuhr [5]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem cum natro sulfurico et nitro, Kali saturationem cum aqua laurocerasi et syrupo ipecacuanhae, infusum sennae compositum, denique infusum chinae et colombo sumsit. Alvus clysteribus ex infuso florum chamomillae, sale et oleo lini compositis ducta est, dein clysteribus ex infuso foliorum hyoscyami et natro sulfurico compositis.

38. Schenck [6]) sectione caesarea instituta tartarum natronatum cum aqua destillata et syrupo rubi Idaei sumi jussit. Puerpera in-

---

1) Abhandlungen der ärztlichen Gesellschaft zu Münster 1829. 8. p. 350.
2) Hufeland Journal der pract. Heilkunde Bd. 83. p. 44.
3) Michaelis p. 10.
4) Michaelis p. 24 et p. 128. obs. 48.
5) Caspers Wochenschrift f. d. Heilkunde 1834. n. 16.
6) Siebolds Journal f. Geburtshülfe Bd. 15. 1836 p. 463.

fanti mammam praebuit. Mater calomel sumsit ejusque sanguis hirudinibus missus est.

39. Kilian [1]) sectione caesarea instituta opium sumi jussit. Puerpera extractum hyoscyami cum aqua laurocerasi, roborantia sumsit. Alvo fomenta gelida adhibita sunt, vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est.

40. Lanz [2]) sectione caesarea instituta emulsionem amygdalarum dulcium cum nitro et extracto hyoscyami, pulverem gummi Mimosae cum opio et calomelle, infusum corticis peruvianae et radicis Angelicae cum liquore anodyno minerali Hoffmanni sumi jussit. Hirudinibus sanguis missus est.

41. Jully [3]) in 4 feminis sectionem caesaream instituit. Semper vena incisa est, vulneri fomenta adhibita sunt, et antiphlogistica remedia sumi Jully jussit.

42. Wittekop [4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera calomel sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

43. Stoltz [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem aquam gelidam bibi, liquorem anodynum Hoffmanni et liquorem anodynum mineralem Hoffmanni cum laudano liquido Sydenhami sumi jussit. Alvo fomenta gelida adhibita sunt, alvus clysteribus ducta est et hirudinibus sanguis missus est.

44. Duchateau [6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem matris sanguis hirudinibus missus est.

45. Bauer [7]) sectione caesarea instituta oleum Ricini; aquam cerasorum nigrorum cum mucilagine gummi Mimosae, aqua laurocerasi et manna; calomel cum magnesia alba; infusum radicis caryophyllatae et herbae menthae piperitae cum liquore ammonio acetico, extracto hyoscyami, exstracto marubii, sulfure aurato et syrupo corticis aurantiorum; infusum radicis caryophyllatae cum in-

---

1) P. van Ghemen: diss. inaug. historiam partus sectione caes. expediti sistens. Bonnae 1833. 4.

2) Gemeinsame deutsche Zeitschrift Bd. 1. p. 499.

3) Arch. génér. de Méd. Février 1831 p. 266.

4) Caspers Wochenschrift f. d. ges. Heilkunde 1834. n. 16.

5) Mém. de l'Académie royale de Méd. de Paris P. 5. fascicul. 3. Paris 1836 4. p. 90.

6) Presse médicale n. 7. 1837.

7) Siebolds Journal Bd. 16. p. 257.

fuso corticis simarubae, extracto cascarillae, tinctura corticis aurantiorum et tinctura cinnamomi; infusum chinae cum tinctura polygalae amarae, extracto cascarillae, spiritu sulfurico aethereo et elixirio e succo liquiritiae; infusum chinae regiae cum infuso radicis calami aromatici, extracto conii maculati, spiritu sulfurico aethereo et syrupo corticis aurantiorum; infusum sennae cum extracto rhei, spiritu sulfurico aethereo et syrupo corticis aurantiorum sumi jussit. Vulneris marginibus lapis infernalis, vulneri tinctura Aloës cum tinctura myrrhae et balsamo peruviano adhibita est.

46. Wiesel[1]) sectione caesarea instituta alvum clysteribus duci et mammas matris exsugi jussit.

47. Pterentz[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem amygdalarum dulcium cum nitro, extracto hyoscyami et aqua laurocerasi, sal amarum cum aqua fragariae, tinctura thebaica, syrupo diacodii et oleo amygdalarum dulcium; oleum Ricini sumsit. Vulneri fomenta ex infuso specierum aromaticarum et aceto composita adhibita sunt. Mater infanti mammam praebuit. In propinquitatem vulneris oleum hyoscyami cum liquore ammonii caustici et laudano infricatum est.

48. Stracke[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera ammonium muriaticum depuratum cum aqua destillata; infusum radicis senegae cum ammonio muriatico depurato, acidum benzoicum cum opio sumsit. Mater infanti mammam praebuit. Alvus clysteribus ducta est. Vena incisa est.

49. Göttsche[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater emulsionem cum extracto hyoscyami et nitro; emulsionem eandem cum acido phosphorico diluto sumsit. Mammae puerperae exsuctae sunt et alvus clysteribus ducta est.

50. Vonderfuhr[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem cum nitro, calomel, emulsionem gummi arabici cum opio sumsit. Mammae exsuctae sunt et alvus clysteribus ducta est.

---

1) Medicinische Zeitung vom Verein für Heilkunde in Preussen 1836. n. 13.
2) Siebolds Journal f. Geb. Bd. 15. p. 585.
3) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 8. p. 161.
4) Zeitschrift f. d. ges. Medicin Hamburg 1837. Bd. 5. p. 187.
5) Caspers Wochenschrift n. 38. 1836.

51. Meyer [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera ne vomitaret, pulverem aërophorum cum aqua amygdalarum amararum; dein linctum cum extracto opii et ipecacuanhae; dein electuarium lenitivum cum oleo Ricini; denique decoctum chinae cum infuso valerianae, tinctura cinnamomi, spiritu sulfurico aethereo et liquore ammonii succinici sumsit. Vulneri fomenta gelida adhibita sunt, alvus clysteribus ducta est et vinctura argento nitrico in aqua destillata soluto humectata est.

52. Michaelis [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera tincturam opii, emulsionem oleosam cum natro sulfurico; calomel et glaciei globos sumsit. Mater infanti mammam praebuit. In vaginam aqua gelida inspersa est. Hirudinibus sanguis missus est. Alvus clysteribus gelidis ducta est.

53. Kilian [3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera opium, emulsionem cum aqua laurocerasi et extracto hyoscyami, globos glaciei et calomel cum bismutho sumsit. Vulneri fomenta glaciei adhibita sunt. Mater infanti mammam praebuit. Hirudinibus sanguis missus est. In vaginam inspersum est.

54. Vormann [4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera potionem Riverii, oleum Ricini et opium sumsit. Alvus clysteribus ducta est et vulneri decoctum chinae cum tinctura myrrhae adhibitum est.

55. Königsfeld [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem seminum papaveris cum aqua laurocerasi et extracto hyoscyami, dein extractum hyoscyami cum aqua laurocerasi sumsit. Vena incisa est. Hirudinibus sanguis missus est. Mater infanti mammam praebuit.

56. Herzbruch [6]) sectione caesarea instituta emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua laurocerasi; extractum cardui benedicti cum aqua melissae et syrupo corticis aurantiorum sumi

---

1) Neue Zeitschrift für Geburtskunde Bd. 3. p. 49.
2) Ibidem Bd. 10. p. 8.
3) Küpper: sect. caes. historia diss. inaug. 1838. Bonnae 4.
4) Med. Zeitung etc. 1839 n. 37.
5) Ibidem 1839. n. 4.
6) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 5. p. 316.

jussit. Mammis panni lanei in calidum oleum immersi adhibiti sunt. In vaginam inspersum est.

57. Estep[1]) sectione caesarea instituta mixturam cum opio sumi jussit. Vena incisa est et alvus clysteribus ducta est.

58. Eissenhart[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post sectionem caesaream puerpera remedia antiphlogistica, mixturam oleosam et Kali saturationem sumsit.

59. Schiffgens[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera opium et ne vomitaret, pulverem aërophorum sumsit. Vena incisa est. Hirudinibus sanguis missus est. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus ducta est. Dein fomenta calida ex infuso florum chamomillae parata adhibita sunt. Mater infanti mammam praebuit.

60. Eichels[4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Mater mammam infanti praebuit.

61. Ringens[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera electuarium lenitivum sumsit. Mater mammam infanti praebuit. Alvus clysteribus ducta est.

62. Hellersberg[6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater remedia roborantia cum nervinis et oleum Ricini sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

63. Vollkommen[7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem mater morphium aceticum, pulverem Doveri et oleum Ricini cum emulsione sumsit.

64. Metz[8]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami, oleum Ricini, calomel, glaciei globos, tincturam opii sumsit. Vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est. Vulneri primum cataplasmata emollientia, dein

---

1) Hamburger Zeitschrift f. d. ges. Med. Bd. 5. p. 274.
2) Rheinischer Generalbericht 1840. p. 115.
3) Ibidem 1839.
4) Ibidem 1839.
5) Ibidem 1842.
6) Ibidem 1842.
7) Ibidem 1842.
8) Metz über die Anwendung der Kälte nach gemachtem Kaiserschnitte.

glaciei fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus gelidis ducta est. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum cum unguento roris marini et tinctura opii simplici infricatum est. In vaginam decoctum seminum cannabis inspersum est.

65. Metz[1]) iterum in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera opium, emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum, atque glaciei globos sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt, alvus clysteribus gelidis ducta est et mater mammam infanti praebuit.

66. Dommes[2]) sectione caesarea instituta tincturam opii, saturationem salis tartari, aquam laurocerasi, extractum hyoscyami, oleum Ricini, calomel, emulsionem amygdalarum dulcium et extractum valerianae sumi jussit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt, alvus clysteribus ducta est, hirudinibus sanguis missus est et mater mammam infanti praebuit.

67. Sedesma[3]) sectione caesarea instituta narcotica sumi jussit. Vulneri fomenta narcotica adhibita sunt.

68. Berndt[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera opium sumsit. Vena incisa est, alvus clysteribus ducta est, in vaginam fluida calida inspersa sunt et matris mammae exsuctae sunt.

69. Mestenhauser[5]) sectione caesarea instituta tincturam radicis arnicae, sulfatum lixivium cum tartaro stibiato et syrupo althaeae sumi jussit. Vulneri fomenta gelida adhibita sunt. In vaginam inspersum est.

70. Zehn[6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera tincturam opii, emulsionem amygdalarum cum extracto hyoscyami, potionem Riverii cum aqua amygdalarum amararum, calomel cum extracto hyoscyami, emulsionem seminum papaveris albi cum natro nitrico, et decoctum corticis chinae cum acido Halleri sumsit. Vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est.

71. Prael[7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectio-

1) Metz über die Anwendung der Kälte nach gemachtem Kaiserschnitte.
2) Hannoversche Annalen Bd. 5. Heft 1.
3) Gaz. méd. de Paris n. 45. 1840.
4) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 24. Heft 3. p. 335.
5) Oestreich. med. Wochenschrift 1841. n. 8.
6) Caspers Wochenschrift 1845. p. 243. 7) Hannoversche Annalen 1843.

nem caesaream instituit. Post operationem puerpera emulsionem amygdalinam compositam, oleum Ricini cum emulsione, aqua laurocerasi et nitro, dein emulsionem cum nitro sumsit. Mater mammam infanti praebuit. Alvus clysteribus ducta est.

72. Vossen [1]) in femina rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum, morphium aceticum sumsit. Alvus clysteribus gelidis ducta est. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt. Mater semper glaciei globos sumsit.

73. Nötling [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem emulsionem oleosam, calomel, emulsionem cum oleo Ricini, emulsionem seminum lini et emulsionem gummi Mimosae cum aqua cerasorum nigrorum et syrupo diacodii sumsit. Genitalibus cataplasmata ex herbis narcoticis parata adhibita sunt. In vaginam infusum herbae malvae et herbae hyoscyami inspersum est.

74. Kilian [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem glaciei globos, tincturam opii, acidum hydrocyanicum cum aqua destillata, calomel cum bismutho et gummi arabico et morphium sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus gelidis ducta est. Vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est. Genitalibus fomenta adhibita sunt.

75. Godefroy [4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem puerpera Kali tartaricum sumsit. Alvus clysteribus ducta est. Bis vena incisa est.

76. Mouin [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem pulverem ipecacuanhae, Kermes minerales cum oleo amygdalarum dulcium et gummi arabico sumsit. Mater mammam infanti praebuit.

77. Schacht [6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem remedia antiphlogistica mater sumsit. Vena incisa est. Alvus clysteribus ducta est. Mater mammam infanti praebuit.

---

1) Metz über die Anwendung der Kälte etc.
2) Medicinische Annalen von Puchelt und Chelius Bd. 7. Heidelberg 1841. p. 245.
3) Bonner Organ f. d. ges. Heilk. Bd. 1. H. 3.
4) Journal des connais. méd. et chir. Juin 1841.
5) Gaz. méd. de Paris n. 27. p. 428.
6) Caspers Wochenschrift Heft 19.

78. Dittmar[1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem calomel et oleum Ricini sumsit. Hirudinibus sanguis missus est, vulneri cataplasmata adhibita sunt et in propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est.

79. Lebleu[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem vena incisa et hirudinibus sanguis missus est.

80. Thibault[3]) sectione caesarea instituta matris alvum duxit.

81. Berolini[4]) in femina osteomalacia correpta sectio caesarea instituta est. Puerpera post operationem, ne vomitaret, infusum chamomillae cum tinctura opii et castorei, emulsionem cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum, oleum Ricini, infusum pectorale, denique infusum cascarillae cum infuso calami aromatici, extracto chinae frigide parato et aethere sulfurico sumsit. Vena incisa est. Mammae exsuctae sunt.

82. Seitner[5]) sectione caesarea instituta venam incidit, hirudinibus sanguinem misit et vulneri fomenta gelida adhibuit.

83. Lange[6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem morphium, calomel sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt. Vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est. Alvus clysteribus ducta est. In vulnus laudanum liquidum Sydenhami infricatum est. Denique vulneri fomenta aromatica adhibita sunt.

84. v. Zele[7]) sectione caesarea instituta remedia antiphlogistica sumi jussit.

85. Mussche[8]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem aetherem aceticum, opium et calomel cum magnesia alba et extracto hyoscyami sumsit.

86. Ziehl[9]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem remedia an-

---

1) Gaz. méd. de Strasbourg. 1845. p. 368.
2) Ibidem p. 64.
3) Arch. génér. de méd. T. 5. 1844. Série 4. p. 185.
4) Med. Zeitung 14. Jahrgang 1845.
5) Oestreich. med. Jahrb. 1843.
6) Prager Vierteljahrsschrift I. 4. 1844.
7) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 29. p. 271.
8) Ibidem p. 272.
9) Prager Vierteljahrsschr. 1844. 2. p. 165.

tiphlogistica et aquam oxymuriaticum sumsit. Vulneri fomenta ex infuso florum chamomillae parata adhibita sunt.

87. Vossen[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem opium, oleum Ricini, tincturam opii, emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum, denique glaciei globos sumsit. Vulneri fomenta glaciei adhibita sunt. Alvus clysteribus gelidis ducta est.

88. Radford[2]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem tincturam opii, extractum hyoscyami, calomel, magnesiam sulfuricam cum magnesia usta, aqua cinnamomi et tinctura cardamomi laudanum, mucilaginem salep cum tinctura camphorata, denique morphium aceticum et boracem sumsit. Alvus clysteribus ex spiritu terebinthinae, oleo Ricini et vitello paratis ducta est. Clysteribus postea asa foetida addita est.

89. Jeter[3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera post operationem stimulantia et opium, calomel cum opio, denique pulverem Doveri sumsit. Alvus clysteribus ducta est. In vaginam lac inspersum est. Super vulnere panni lanei oleo terebinthinae humectati repositi sunt.

90. Kilian[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, acidum hydrocyanicum et globos glaciei sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus gelidis ducta est.

91. Knüsemüller[5]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem amygdalarum compositam cum potione Riverii, Kali nitrico et syrupo mannae, emulsionem seminum papaveris cum aqua amygdalarum amararum, natro nitrico et syrupo rhei, emulsionem seminum papaveris cum natro nitrico, aqua amygdalarum amararum, mucilagine gummi Mimosae et syrupo amygdalarum, denique aquam foeniculi cum tinctura cinnamomi et syrupo rhei sumsit.

---

1) Metz über die Anwendung der Kälte etc.
2) The Edinb. med. and surg. journ. 1845. p. 253.
3) Ibidem.
4) Bonner Organ f. d. ges. Heilk. Bd. 1. H. 3.
5) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 19. p. 384.

92. Meyer [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Post operationem vena matris incisa est.

93. Steinbrenner [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem cum oleo Ricini sumsit. Hirudinibus sanguis missus est, alvus matris clysteribus ducta est et vulneri fomenta et cataplasmata adhibita sunt.

94. Bach [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, morphium et chininum sulfuricum sumsit. Hirudinibus sanguis missus est et vulneri emollientia et narcotica fomenta adhibita sunt.

95. Kesselkaul [4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii, oleum Ricini et emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum sumsit. Mater mammam infanti praebuit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt et alvus clysteribus gelidis ducta est. Mater glaciei globos sumsit.

96. Custodi [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem cum oleo Ricini sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt et alvus primum clysteribus gelidis, dein emollientibus ducta est. Mater glaciei globos sumsit.

97. Metz [6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, calomel cum opio, emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum amararum et glaciei globos sumsit. Vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est. Vulneri fomenta glaciei adhibita sunt et alvus clysteribus gelidis ducta est.

98. Messow [7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami et aqua amygdalarum, oleum Ricini, calomel et glaciei globos sumsit. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est. Vulneri fomenta glaciei adhibita sunt et alvus clysteribus gelidis ducta est.

---

1) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 25. p. 458.
2) Gaz. méd. de Strasbourg. 1846. p. 188.
3) Ibidem p. 153.
4) Metz über die Anwendung der Kälte etc.
5) Gaz. des hôpit. 1848. n. 150.
6) Metz über die Anwendung der Kälte etc.
7) Ibidem.

99. Bouchacourt[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera infusum florum tiliae cum aqua lactucae virosae, ammonio acetico, aqua cinnamomi et laudano liquido Sydenhami, morphium sumsit. Hirudinibus sanguis missus est, in propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est et vulneri cataplasmata adhibita sunt.

100. Decoene[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est.

101. Harnier[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera infusum herbae melissae, sal ammonium depuratum cum extracto hyoscyami, emulsione et oleo Ricini, morphium aceticum cum sulfure aurato, pulverem radicis althaeae cum seminibus foeniculi, sal ammonium depuratum cum rheo, opium cum ipecacuanha, gummi arabico et elaeosaccharo foeniculi, denique decoctum chinae cum spiritu muriatico aethereo sumsit. Mater mammam infanti praebuit, alvus matris clysteribus ducta est, genitalibus fomenta ex infuso florum chamomillae parata adhibita sunt, in vaginam fluida calida inspersa sunt et vulneri laudanum liquidum Sydenhami cum balsamo peruviano adhibitum est.

102. Lagae[4]) sectione caesarea instituta aquam gelidam adhiberi jussit.

103. Kilian[5]) sectione caesarea instituta a puerpera aquam florum aurantiorum cum aqua cerasorum nigrorum et extracto hyoscyami, tincturam opii simplicem, lac magnesiae ustae, oleum Ricini, decoctum chinae et glaciei globos sumi jussit. Vulneri glaciei fomenta, mammis panni lanei calidi, genitalibus spongiae calidae, pedibus urcei calidi adhibiti sunt. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est.

II. Casus infelices.

1. Schützer[6]) sectione caesarea instituta nitrum et nitrum cum ammonio diaphoretico, magnesia alba et antimonio, emulsionem

---

1) Revue méd. 1851. P. 1.
2) Gaz. des hôpit. 1851.
3) Neue Zeitschrift f. Geb. Bd. 33. p. 1.
4) Gaz. des hôpit. n. 57. 1852.
5) Deutsche Klinik. Bd. 5. 1853.
6) Abhandlung. der Kgl. Schwed. Akademie der Wissensch. auf das Jahr 1768. Uebers. von Küster. Leipzig 1771.

et camphoram a puerpera sumi jussit. In propinquitatem vulneris calidum oleum rosarum infricatum est. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri unguentum althaeae cum camphora adhibitum est.

2. Roederer[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem matris vena incisa est.

3. Roederer[2]) sectione caesarea instituta matris venam incidit. In vulnus aqua tepida inspersa est. Mater infusum chinae sumsit. Vena incisa alvus clysteribus ducta et in vaginam inspersum est.

4. Henkel[3]) in femina admodum deformi sectionem caesaream instituit. Puerpera potionem subacido-analepticam, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni cum laudano liquido Sydenhami et infusum florum sambuci et chamomillae sumsit. Vulneri balsamus Arcaei adhibitus est. In vaginam infusum herbae Scordii cum infuso salviae et melle rosarum inspersum est. Dein vulneri fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus ducta est. Mammis vesicatoria adhibita sunt.

5. Lauverjat[4]) sectione caesarea instituta decoctum Cassiae cinnamomeae a puerpera sumi jussit. Vulneri unguentum digestivum adhibitum est et vinctura emollientibus et narcoticis decoctis humectata est. Vena bis incisa et in matris vaginam inspersum est.

6. Sectione[5]) caesarea instituta mater analeptica, nitrum cum succo vitri, aqua cerasorum et syrupo, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni sumere jussa est. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri fomenta ex calido vino parata adhibita sunt.

7. Juppin[6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem vulneri fomenta emollientia adhibita sunt.

8. Lauverjat[7]) sectione caesarea instituta venam incidit et alvum clysteribus duxit. Vulneri cataplasmata adhibita sunt.

---

1) Siebolds Lucina Bd. 4. St. 1. Leipzig 1807. 8. p. 87.

2) Ibidem

3) Henkels neue medicinische und chirurgische Bemerkungen. 2. Sammlung Berlin 1772. 8. p. 19.

4) Lauverjat's neue Methode den Kaiserschnitt zu machen. etc. p. 161.

5) G. W. Stein: Annalen der Geburtshülfe 3 St. Leipzig 1809. 8. p. 60.

6) Journal de Méd., Chirurgie, Pharmac. etc. Tom. 54. p. 65.

7) Lauverjat's neue Methode den Kaiserschnitt zu machen etc.

9. Stein[1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera salia sumsit.

10. Weissenhorn[2]) sectione caesarea instituta a puerpera liquorem mineralem anodynum Hoffmanni, tincturam thebaicam, opium, emulsionem seminum papaveris albi cum Kali nitrico et opio, et cremorem tartari sumi jussit. Vulneri aqua Goulardi adhibita est. Alvus clysteribus emollientibus cum tartaro emetico ducta est.

11. Hull[3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium et alkali volatile sumsit.

12. Eck[4]) sectione caesarea instituta succum papaveris, temperantia, decoctum chinae cum infuso tamarindorum, decoctum chinae cum decocto serpentariae virginianae, decocto arnicae et spiritu vitrioli dulcis a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus emollientibus ducta est et in vaginam emollientia inspersa sunt. Mammis unguentum ex axungia porci, syrupo althaeae et sale cornu cervi volatili paratum adhibitum est. Vulneri fomenta ex infuso chinae parata adhibita sunt.

13. Hull[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii sumsit.

14. Klein[6]) sectione caesarea instituta mixturam cum opio, cremore tartari et succo citri, emulsionem oleosam cum liquore minerali anodyno Hoffmanni, oleum Ricini et serum lactis ex pulpa tamarindorum paratum; dein rheum cum Kali nitrico, infusum arnicae cum infuso serpentariae virginianae et liquore anodyno minerali Hoffmanni a puerpera sumi jussit. Vulneri panni lanei calido oleo humectati adhibiti sunt et super mammis cucurbitulae repositae sunt. In vaginam inspersum est et alvus clysteribus cum liquore anodyno Hoffmanni ducta est. Dein alvus clysteribus ex pulpa tamarindorum, melle et sapone paratis ducta est.

15. Baudelocque[7]) sectione caesarea instituta antisposmodica cum laudano liquido Sydenhami, oxymel squilliticum (dans l'eau de bourrache) a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est.

1) Stein: Geschichte einer Kaisergeburt.

2) Starks Archiv f. d. Geburstk. etc. Bd. 4. Jena 1792. 8. p. 703.

3) Hull: A defence of the caesarean operation etc. Manchester 1798. 8. p. 172.

4) Thom: Erfahrungen und Bemerkungen aus der Arznei- Wundarznei- und Entbindungswissenschaft. Frankfurt am Main 1799. 8. p. 150.

5) Hull: A defence etc.

6) Loders Journal f. Chir. u. Geb. etc. Bd. 2. Jena 1800. 8. p. 744.

7) Récueil périod. etc. T. 5. p. 435.

16. Wood [1]) sectione caesarea instituta opium, natron sulfuricum, calomel cum opio a puerpera sumi jussit. Ventri vesicatorium adhibitum est et alvus clysteribus ex decocto foliorum nicotianae paratis ducta est.

17. Hunold [2]) sectione caesarea instituta alvum clysteribus duci et in vaginam inspergi jussit.

18. Mursinna [3]) sectione caesarea instituta emulsionem papaveris albi, oleum amygdalarum dulcium cum syrupo amygdalarum dulcium et laudano liquido Sydenhami a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est et vulneri panni lanei in calidam aquam aromaticam immersi adhibiti sunt.

19. Wiedemann [4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam thebaicam cum spiritu Mindereri et aqua melissae, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni cum aqua melissae, camphoram, decoctum corticis peruvianae cum decocto valerianae, aqua cinnamomi et syrupo aurantiorum, naphtham vitrioli et moschum sumsit. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri liquor ammonii caustici adhibitus est. In uterum per vulnus cavi abdominis decoctum chinae inspersum est.

20. Osiander [5]) sectione caesarea instituta tincturam opii cum tinctura cinnamomi et liquore anodyno minerali Hoffmanni a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri decoctum corticis peruvianae cum camphora et aceto naphtae adhibium est.

21. Servaes [6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem cum aethere sulfurico, opio et syrupo diacodii, infusum herbaechenopodii ambrosiaci cum opio sumsit. Mammis fomenta adhibita sunt et alvus clysteribus ducta est.

22. Michaelis [7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam cinnamomi, aquam menthae piperitae cum liquore anodyno minerali Hoffmanni, tinctura cinnamomi et syrupo florum rhoeados, aquam foeniculi

---

1) Memoirs of the medical society of London Vol. 5.

2) Stein's geburtshilfliche Abhandlungen H. 1. Marburg 1803. 8. p. 17.

3) Mursinna Journal f. d. chir. Arzneikunde und Geburtshilfe. Bd. 2. Berlin 1802. 8. p. 247.

4) Siebold's Lucina Bd. 1. St. 3. 8. Leipzig 1804. p. 378.

5) Osiander in commentationibus societatis Reg. Gotting. Vol. 2. Gottingae 1813. 4. p. 4.

6) Siebolds Journal Bd. 2. p. 426.

7) Ibidem Bd. 5. p. 87.

cum liquore anodyno minerali Hoffmanni, tinctura thebaica et syrupo florum rhoeados, infusum laxativum Vienn. cum liquore anodyno minerali Hoffmanni, emulsionem gummi arabici cum oleo amygdalarum dulcium, extracto hyoscyami et nitro, aquam menthae piperitae cum aethere vitrioli et tinctura thebaica, extractum hyoscyami cum magnesia alba et aqua valerianae sumsit. Mammae exsuctae sunt. Mater mammam infanti praebuit. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri fomenta ex infuso herbae menthae crispae et florum chamomillae parata adhibita sunt.

23. Osiander [1]) sectione caesarea instituta tincturam opii cum spiritu nitrico dulci, laxantia, decoctum corticis peruvianae cum decocto radicis valerianae et aceto camphorato a puerpera sumi jussit. Super vulnere spongiae aqua tepida et vino mixto humectatae repositae sunt. Alvus clysteribus ducta est.

24. Haeusner [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera aetherem aceticum cum vino, Kali carbonicum cum tinctura opii crocata, syrupo opiato et aqua destillata, extractum opii aquosum, decoctum salep cum aqua cinnamomi, gummi mimosae cum aqua cinnamomi et syrupo opiato, denique camphoram cum aethere sulfurico sumsit. Alvus clysteribus cum sale paratis ducta est. Mammis cataplasmata, ventri decoctum chinae et calami aromatici cum liquore myrrhae adhibitum est. In vaginam inspersum est.

25. E. v. Siebold [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, decoctum althaeae cum nitro, calomel, pulveres Doveri, decoctum althaeae cum syrupo althaeae et spiritu Mindereri, infusum valerianae, emulsionem cum opio, infusum chinae cum opio, camphoram et moschum sumsit. Vulneri cataplasmata ex herba hyoscyami et speciebus emollientibus parata, ventri oleum hyoscyami adhibitum est. Alvus clysteribus ducta, hirudinibus sanguis missus et in propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum est.

26. Collin [4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, tincturam castorei et tincturam cinnamomi cum spiritu ammoniato et laudano sumsit. Vulneri fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus ducta est.

---

1) Osiander in commentationibus etc. Gottingae.
2) Siebolds Lucina Bd. 6. St. 1. p. 57.
3) Siebolds Journal f. Geburtshilfe etc. Bd. 1. St. 2. 8. p. 279.
4) Edinburgh medical and surgical journal Vol. 8. p. 11.

27. Le Maître[1]) sectione caesarea instituta potionem tonicam anthelminticam a puerpera sumi jussit. Vulneri fomenta emollientia adhibita sunt.

28. Henderson[2]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera vinum et tincturam opii sumsit.

29. Oesterlen[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera laudanum liquidum cum liquore cornu cervi sumsit.

30. Berger[4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem papaveris cum emulsione amygdalarum dulcium et extracto hyoscyami, nitrum, nitrum cum opio, calomel cum opio, emulsionem cum aqua laurocerasi sumsit. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri primum aqua Goulardi, dein cataplasmata ex speciebus resolventibus et ex herba hyoscyami parata adhibita sunt.

31. Ritgen[5]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam castorei cum liquore ammonii succinici, spiritu nitrico aethereo, aqua cinnamomi, aqua chamomillae et syrupo opiato, emulsionem seminum papaveris albi cum aqua florum chamomillae, tinctura opii simplice, liquore ammonii succinici et syrupo emulsivo, emulsionem gummi arabici cum aqua cinnamomi, aqua florum chamomillae, tinctura opii simplice, spiritu nitrico aethereo et syrupo aurantiorum, tincturam aromaticam acidam, camphoram cum opio sumsit. Alvus clysteribus ducta est. Vulneri fomenta vini, unguentum elemi cum liquore myrrhae et fomenta ex infuso florum arnicae cum extracto hyoscyami parata adhibita sunt. In vaginam inspersum est.

32. Rust[6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem papaveris, emulsionem papaveris cum nitro, oleum Ricini, decoctum althaeae cum nitro, calomel cum extracto hyoscyami sumsit. Vulneri fomenta narcotica adhibita sunt. Alvus clysteribus ducta est. Bis vena incisa et hirudinibus sanguis missus est.

---

1) Récueil périod. etc. T. 44.
2) Edinburgh med. and surg. journ. Vol. 17. p. 105.
3) Graefe und Walthers Journal d. Chir. etc. Bd. 4. p. 1.
4) Siebolds Journal etc. Bd. 5. p. 142.
5) Heidelberger klinische Annalen Bd. 1. p. 263.
6) Siebolds Journ. f. Geb. Bd. 13. St. 1.

33. Decke et Eichelberg[1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituerunt. Puerpera remedia antiphlogistica sumsit.

34. Seidler[2]) sectione caesarea instituta mixturam sulfuricam acidam cum aqua rubi idaei et syrupo papaveris albi, saturationem Kali carbonici, emulsionem seminum papaveris cum manna, tartaro natronato et extracto hyoscyami, magnesiam sulfuricam cum manna, tincturam opii simplicem cum succo citri a puerpera sumi jussit. Ventri fomenta gelida adhibita sunt et in vaginam inspersum est.

35. Dubois[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem vena incisa, hirudinibus sanguis missus est et vulneri cataplasmata adhibita sunt.

36. Busch[4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera aetherem aceticum cum tinctura cinnamomi, tincturam opii, tincturam castorei, decoctum althaeae cum infuso valerianae et tinctura castorei, infusum valerianae cum infuso corticis aurantiorum et aethere acetico, infusum valerianae cum infuso serpentariae virginianae, infuso chinae, aethere acetico et syrupo diacodii sumsit. Alvus clysteribus ducta et in vaginam inspersum est.

37. Wolff[5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii vinosam, nitrum cum oleo hyoscyami, mucilagine gummi arabici et tinctura opii vinosa sumsit.

38. Engeltrum[6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam cinnamomi, camphoram cum aethere vitrioli sumsit. Vulneri fomenta cum tinctura camphorata adhibita sunt.

39. Merrem[7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera vinum, emulsionem amygdalarum dulcium cum tinctura opii crocata, extractum hyoscyami cum extracto florum chamomillae et syrupo florum aurantiorum sumsit.

---

1) Siebold's Journ. f. Geb. Bd. 5. p. 122.
2) Rust's Magazin Bd. 20. H. 2.
3) Lachapelle: pratique des accouch. T. 3. p. 504.
4) Busch: Geburtshilfliche Abhandl. etc. Marburg 1826. 8. p. 214.
5) Graefe u. Walthers Journ. Bd. 7. Heft 3. Juni 1825.
6) Gemeinsame deutsche Zeitschr. Bd. 4. p. 138.
7) Ibidem Bd. 3. p. 341.

40. Kluge [1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera aquam laurocerasi, oleum Ricini, aquam menthae piperitae cum tinctura thebaica et spiritu sulfurico aethereo sumsit. Alvus belladonnae clysteribus primum, dein clysteribus ex natro sulfurico et aqua destillata paratis ducta, vena matris incisa est, mater mammam infanti praebuit et vulneri calidi panni lanei adhibiti sunt.

41. Legroux [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera remedia antiphlogistica sumsit. Vena incisa est.

42. Busch [3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem oleosam cum extracto hyoscyami sumsit.

43. Ferrario [4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera aquam menthae piperitae cum liquore anodyno minerali Hoffmanni sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt.

44. Lovati [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera decoctum tamarindorum sumsit. In vaginam inspersum est, alvus clysteribus emollientibus ducta est et mater mammam infanti praebuit.

45 Johannknecht [6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera potionem Riverii sumsit. Vena incisa, hirudinibus sanguis missus est et vulneri cataplasmata adhibita sunt.

46. Ritgen [7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, emulsionem amygdalarum dulcium cum aqua laurocerasi, oleum menthae piperitae, tincturam cinnamomi, infusum herbae menthae crispae cum infuso herbae melissae et infuso florum verbasci, oleum menthae piperitae cum liquore ammonii succinici, oleum Ricini, acidum Mynsichti cum tinctura opii simplice, oleum menthae piperitae cum liquore

---

1) Siebolds Journal Bd. 8. p. 72.

2) Révue méd. française et étrang. T. 3. 1836. p. 353.

3) Gemeinsame deutsche Zeitschrift Bd . p. 292.

4) Ibidem Bd. 5, p. 140.

5) Ibidem. p. 137.

6) Abhandlungen der ärztlichen Gesellschaft zu Münster 1829. 8. p. 366.

7) Gemeins. deutsche Zeitschr. Bd. 5. p. 577.

ammonii succinici et naphtha sumsit. In vaginam inspersum est et vulneri fomenta aromatica adhibita sunt.

47. Ribbin[1]) sectione caesarea instituta opium, extractum colocynthidis cum hydrargyro muriatico a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est et vulneri fomenta adhibita sunt.

48. Warneke[2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera remedia antiphlogistica sumsit.

49. Reuter[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera potionem Riverii, emulsionem seminum papaveris albi cum aqua laurocerasi, decoctum chinae cum aethere acetico et moscho sumsit. Alvus clysteribus ducta et hirudinibus sanguis missus est.

50. Stein[4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera infusum florum chamomillae cum spiritu Mindereri et infusum radicis angelicae sumsit.

51. Haeusner[5]) sectione caesarea instituta potionem Riverii a puerpera sumi jussit. Vena incisa est, hirudinibus sanguis missus et vulneri cataplasmata adhibita sunt.

52. Kranefuss[6]) sectione caesarea instituta decoctum seminum lini cum extracto hyoscyami, oleo amygdalarum dulcium et syrupo althaeae, emulsionem amygdalarum dulcium cum aqua valerianae, extracto hyoscyami, aqua laurocerasi et syrupo althaeae, opium, emulsionem cum oleo Ricini, emulsionem cum oleo Ricini, gummi mimosae, vitello, aqua menthae piperitae, aqua valerianae et syrupo mannae, infusum radicis caryophyllatae cum infuso valerianae minoris, extracto hyoscyami, aethere sulfurico et syrupo althaeae, denique emulsionem amygdalarum dulcium cum tinctura opii et aqua laurocerasi a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est. Primum vulneri fomenta gelida, dein fomenta aromatica adhibita sunt, vena incisa est et hirudinibus sanguis missus est.

53. Göttsche[7]) in femina prima aetate rhachitide affecta se-

---

1) Edinburgh med. and surg. journ. Vol. 35. p. 352.
2) Rheinischer Generalbericht 1830—33.
3) Heidelberger klinische Annalen Bd. 10. p. 431.
4) Siebolds Journal Bd. 13.
5) Ibidem Bd. 17.
6) Rust's Magazin Bd. 45. p. 257.
7) Zeitschr. f. d. ges. Med. Hamburg 1837. Bd. 5. p. 184.

ctionem caesaream instituit. Puerpera opium, hydrargyrum et emulsionem cum Kali nitrico et extracto hyoscyami sumsit. Vulneri fomenta gelida adhibita sunt, in vaginam inspersum est et hirudinibus sanguis missus est.

54. Textor[1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem seminum papaveris albi cum aqua amygdalarum amararum, potionem Riverii sumsit. Alvus clysteribus ducta est et mater mammam infanti praebuit.

55. Flamm[2]) sectione caesarea instituta tincturam opii, aetherem sulfuricum cum vino, tincturam cinnamomi, emulsionem amygdalarum dulcium, cum aqua laurocerasi, aquam cinnamomi cum tinctura valerianae et aethere sulfurico a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta est et mammae matris exsuctae sunt.

56. Schütte[3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium et tincturam cinnamomi sumsit.

57. Vanderfuhr[4]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii sumsit. Vulneri fomenta gelida adhibita sunt.

58. Dohlhoff[5]) sectione caesarea instituta pulverem aërophorum cum opio a puerpera sumi jussit. Vena incisa, hirudinibus sanguis missus est et vulneri fomenta adhibita sunt.

59. Fritz[6]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera remedia antiphlogistica sumsit. Vulneri fomenta glaciei adhibita sunt.

60. Radford[7]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera anodyna, laudanum et salia sumsit. Alvus clysteribus ex oleo terebinthinae et castorei paratis ducta est.

61. Radford[8]) sectione caesarea instituta vinum, laudanum, stimulantia, antiphlogistica, et oleum amygdalarum dulcium cum laudano a puerpera sumi jussit.

---

1) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 5. p. 161.
2) Ibidem Bd. 6. p. 400.
3) Rheinischer Generalbericht 1837.
4) Ibidem 1838.
5) Rust's Magazin Bd. 52. p. 174.
6) Med. Jahrbücher des K. K. Oestreich. Staates Bd. 19. St. 3. p. 389.
7) The Edinburg med. and surg. journ. Vol. 55. 1841. p. 67.
8) Ibidem.

62. Knüsemüller [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera decoctum althaeae cum extracto hyoscyami, aqua laurocerasi et syrupo amygdalarum dulcium sumsit. Vulneri unguentum basilicum adhibitum est.

63. Dormann [2]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera aetherem aceticum et morphium aceticum, denique calomel sumsit. Hirudinibus sanguis missus est et mater mammam infanti praebuit. Alvus clysteribus ducta est.

64. Heusner [3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera oleum Ricini, calomel, oleum crotonis sumsit. Alvus clysteribus cum tartaro emetico ducta est.

65. Lagmann [4]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Post operationem hirudinibus sanguis missus est.

66. Bosch [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, emulsionem cum Kali tartarico et aqua laurocerasi, calomel, calomel cum opio, castoreum cum radice caryophyllatae sumsit. Bis vena incisa et hirudinibus sanguis missus est.

67. Winckel [6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii, emulsionem oleosam cum aqua chamomillae et syrupo althaeae, emulsionem amygdalarum dulcium cum aqua laurocerasi et tinctura opii simplice, infusum valerianae cum liquore ammonii succinici, aethere sulfurico, extracto lactucae virosae et succo florum aurantiorum et decoctum chinae cum extracto chinae, tinctura chinae composita et aethere acetico, denique aquam chamomillae cum gummi arabico, acido phosphorico puro et spiritu nitrico aethereo sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

68. Rheins [7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam thebaicam, potionem Riverii et calomel sumsit. Alvus clysteribus ducta est et vulneri fomenta gelida adhibita sunt.

---

1) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 19. p. 375.
2) Ibidem Bd. 20. p. 345.
3) Rheinischer Generalbericht 1840.
4) Ibidem.
5) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 28. p. 207
6) Ibidem 2. Heft p. 361.
7) Rheinischer Generalbericht 1842.

69. Zartmann [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium et moschum sumsit.

70. Mertens [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera oleum Ricini et calomel sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

71. Bartsch [3]) in femina prima aetate rachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem cum aqua laurocerasi, mixturam oleosam cum aqua laurocerasi, calomel, opium, mixturam oleosam cum extracto hyoscyami, decoctum chinae cum tinctura cinnamomi et liquore minerali anodyno Hoffmanni, camphoram et decoctum salep sumsit. Vulneri primum fomenta glaciei, dein fomenta adhibita sunt. Mater glaciei globos sumsit. In vaginam inspersum est.

72. Dormann [4]) sectione caesarea instituta tincturam opii cum tinctura cinnamomi, emulsionem amygdalarum dulcium cum nitro, aqua laurocerasi et syrupo emulsivo, morphium aceticum, emulsionem seminum papaveris albi cum kali nitrico, aqua laurocerasi et syrupo emulsivo et oleum amygdalarum dulcium cum gummi mimosae, aqua chamomillae, extracto hyoscyami, aqua laurocerasi et syrupo rhoeados a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta et hirudinibus sanguis missus est.

73. Knüsemüller [5]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem amygdalarum compositam cum potione Riverii, kali nitrico depurato et syrupo mannati, hydrarygrum muriaticum mite cum sulfure aurato, extracto hyoscyami et pulvere radicis liquiritiae, infusum valerianae minoris cum acido muriatico puro, succo liquiritiae et syrupo rhei sumsit. Vena incisa est et vulneri decoctum herbae hyoscyami cum decocto florum chamomillae adhibitum est.

74. Genth [6]) sectione caesarea instituta oleum Ricini, calomel et calomel cum opio a puerpera sumi jussit. In propinquitatem vulneris unguentum cinereum infricatum, vena, incisa et hirudinibus sanguis missus est.

---

1) Rheinischer Generalbericht 1842.
2) Ibidem.
3) Oestr. med. Jahrb. med. Jahrb. Bd. 33—34. 1843. p. 98.
4) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 20. p. 321.
5) Ibidem Bd. 19. p. 380.
6) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 27. p. 200.

75. Ed. v. Siebold [1]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii, emulsionem amygdalarum dulcium cum aqua amygdalarum amararum concentrata, morphium aceticum, potionem Riverii, oleum Ricini, potionem Riverii cum opio et pulveres Doveri sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

76. Thibault [2]) sectione caesarea instituta infusum florum tiliae a puerpera sumi jussit.

77. Kilian [3]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, glaciei globos et opium cum moscho sumsit. Vulneri fomenta glaciei, genitalibus spongiae calidae adhibitae sunt et in vaginam inspersum est.

78. Kilian [4]) sectione caesarea instituta saturationem nitricam cum aqua laurocerasi et electuario lenitivo, tincturam opii, glaciei globos a puerpera sumi jussit. Vulneri glaciei fomenta, genitalibus fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus ducta et in vaginam inspersum est.

79. Coley [5]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, magnesiam sulfuricam cum infuso sennae et gentianae et oleum castorei sumsit.

80. Lyon [6]) sectione caesarea instituta a puerpera opium et vinum sumi jussit.

81. Martini [7]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera emulsionem cum nitro, calomel, potionem Riverii sumsit. Alvus clysteribus ducta est et genitalibus fomenta adhibita sunt.

82. Grenser [8]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii simplicem, emulsionem seminum papaveris albi, oleum Ricini et globos glaciei sumsit. Alvus clysteribus ducta est et vulneri glaciei fomenta adhibita sunt.

---

1) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 18. p. 45.
2) Arch. génér. de Méd. T. 5. 1844. Série 4. p. 171.
3) Etlinger: observationes obstetr. per 13 menses in clinico Bonnensi institutae 1844.
4) Ibidem.
5) The Edinburgh med. and surg. journ. Vol. 53. 1853.
6) Monthly journ. Decbr. 1845.
7) Med. Correspondenzblatt des Würtemberg. Vereins 1846. p. 46. u. 52.
8) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 25 p. 241.

83. Hüter [1]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera tincturam opii, tincturam ambrae cum moscho sumsit. Vulneri glaciei fomenta adhibita sunt et alvus clysteribus ex infuso belladonnae paratis ducta est.

84. Oldham [2]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium sumsit.

85. Skey [3]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera opium, morphium, stimulantia, glaciei globos sumsit. Alvus clysteribus ducta est.

86. Metz [4]) sectione caesarea instituta opium, morphium, pulverem aërophorum, emulsionem oleosam et decoctum salep cum ammonio muriatico depurato et aqua amygdalarum amararum a puerpera sumi jussit. Mater globos glaciei sumsit. Vulneri fomenta adhibita sunt. Alvus clysteribus glaciei ducta est.

87. Radford [5]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera morphium aceticum et mixturam e salibus, morphio acetico et aqua destillata paratam sumsit. Alvus clysteribus ducta est; dein clysteribus cum spiritu terebinthinae.

88. Barrier [6]) in femina osteomalacia correpta sectionem caesaream instituit. Puerpera infusum corticis aurantiorum sumsit. Vulneri balsamus peruvianus adhibitus est.

89. Faye [7]) sectione caesarea instituta laudanum, globos glaciei et spiritum sulfuricum aethereum a puerpera sumi jussit. Alvus clysteribus ducta et vena incisa est.

90. Oldham [8]) in femina prima aetate rhachitide affecta sectionem caesaream instituit. Puerpera laudanum, ammonium aceticum cum mixtura camphorata et tinctura hyoscyami calomel et opium sumsit. In vaginam aqua calida inspersa est. —

Priusquam haec diligentius persequar, monendum est, rationem propius ad veritatem accedentem, quam eam, ut omnes sectiones caesareas, quarum medendi methodus annalibus tradita sit, conferrem, assequi me non potuisse, quia deficiente experientia tantum-

1) Neue Zeitschr. f. Geb. Bd. 27. p. 358.
2) London medical gazette 1851. Jan. Jun. Vol. 12. p. 338.
3) Gaz. méd. de Strasbourg 1850.
4) Metz: Ueber die Anwend. der Kälte etc.
5) The Edinburgh med. and surg. journ. Vol. 76. 1851. p. 248.
6) Révue méd. 1851. T. 2. p. 224.
7) Norks Magazin Bd. 6 Heft. 6.
8) The half-yearly abstract of the medical sciences. Vol. 19. Jan. — Jun. 1854. London.

modo ex medendi methodorum post sectionem caesaream institutam adhibitarum comparatione optima methodus inveniri posse mihi visa est. Mirum quidem est, quod inter 193 sectiones caesareas, quarum medendi methodus tradita est, 90 tantum infelices fuerunt. At numerus infelicium multo major est. Eventus enim multarum sectionum caesarearum infelix in publicum non semper prolatus, rarius etiam medendi methodus tradita est, quod multi, qui sectionem caesaream infeliciter instituerunt, severam censuram veriti sunt. Itaque ea, quae ex comparationibus supra institutis sequuntur, a veritate aliena esse videantur. Inde vero rationes tantum, quae ex illis comparationibus supra institutis sequuntur, ab iis discederent, quas sequi necesse esset, si medendi methodus omnium sectionum caesarearum matri infelicium annalibus tradita esset; viam autem, quam iniimus, nihilominus ad veritatem nos ducere contendo, quia ex comparationibus omnium 193 sectionum caesarearum eam invenire poterimus methodum, quae optimum praebeat eventum. Qua ratione cum id, quod nobis propositum est, effici possit, statim transeo ad inquirendum, qua via ac ratione mater post sectionem caesaream institutam servari possit. Fuerunt, qui neque venam incidendam, neque hirudinibus sanguinem mittendum esse censerent. Quae sententia num probanda sit, ex his apparebit.

41 in casibus matris vena incisa est, quo facto 26 matres vitam servarunt, ita ut ratio sit, $^{26}/_{41}$ = p. c. 63,41.

21 matrum rhachitide affectarum venae incisae sunt, quo facto 15 superstites fuerunt, unde ratio $^{15}/_{21}$ = p. c. 71,42. 5 matrum osteomalacia correptarum venae incisae sunt, quo facto 4 servatae, unde ratio $^{4}/_{5}$ = p. c. 80,00. Reliquis in casibus, utro morbo mater affecta fuerit, non traditum est.

37 matrum, quarum sanguis hirudinibus missus est, 22 servatae sunt, ita ut ratio prodeat $^{22}/_{37}$ = p. c. 59,45. 23 matrum rhachitide affectarum, quarum sanguis hirudinibus missus est, 15 superstites fuerunt, unde ratio $^{15}/_{23}$ = p. c. 65, 21. 6 matrum osteomalacia correptarum 4 servatae sunt, unde ratio prodit $^{4}/_{6}$ = p. c. 66,66.

Multi deinde sunt, in his Metz, qui glaciem et extra et intus adhibendam commendent. 17 in casibus glacies intus adhibita est, quo facto 12 matres servatae sunt, ita ut ratio sit $^{12}/_{17}$ = p. c. 70,58. Praeterea 20 in casibus adhibita est, quo facto 13 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{13}/_{20}$ = p. c. 65,00. 11 in casibus gelida clysmata adhibita sunt, quo facto 10 matres vitam servaverunt, ita

ut ratio sit $^{10}/_{11}$ = p. c. 90,90. 2 in casibus, ubi mater osteomalacia correpta erat, glacies intus adhibita est, quo facto utraque servata est. Praeterea ter adhibita est, quo facto duae matres vitam servarunt, ita ut ratio sit $^{2}/_{3}$ = p. c. 66,66. Semel gelida clysmata adhibita sunt et mater superstes fuit.

15 in casibus, ubi matres prima aetate rhachitide affectae erant, glacies intus adhibita est, quo facto 10 matres servatae sunt, ita ut ratio sit $^{10}/_{15}$ = p. c. 66,66. 16 in casibus extra glacies adhibita est, quo facto 9 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{9}/_{16}$ = p. c. 56,26. 10 in casibus gelida clysmata adhibita sunt, quo facto 9 matres vitam servarunt, unde ratio $^{9}/_{10}$ = p. c. 90,00.

Alia autem quaestio oritur, num, ut lochia retardata adducantur, in vaginam inspergendum sit.

32 in casibus, sectione caesarea instituta, in vaginam inspersum est, quo facto 14 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{14}/_{32}$ = p. c. 43,74. —

Fomenta et cataplasmata 42 in casibus vulneri adhibita sunt, quo facto 22 matres servatae sunt, ita ut ratio sit $^{22}/_{42}$ = p. c. 52,38. —

Semper medici ad lactis secretionem puerperae animum diligenter adverterunt, ita ut eam retardatam provocare, adductam servare studerent. Quod ut efficeretur, varia proposita sunt. Quae num sectione caesarea instituta commendanda sint, ex his comparationibus apparebit. 34 in casibus medicos lactis secretionem aut retardatam adducere aut adductam servare idoneis remediis studuisse compertum habeo. 25 matres servatae sunt, unde ratio $^{25}/_{34}$ = p. c. 73,52. 31 matrum mammae exsuctae sunt, quo facto 25 servatae sunt, ita ut ratio sit $^{25}/_{31}$ = p. c. 80,64. 8 matrum mammas adultae exsuxerunt, quarum 6 vitam servarunt, unde ratio $^{6}/_{8}$ = p. c. 75,00. 23 matrum mammas infans exsuxit, quarum 19 servatae sunt, unde ratio $^{19}/_{23}$ = p. c. 82,60. —

Alvi obstructiones, sectionem caesaream plerumque sequentes, medici remediis, vel ex herbis vel ex salibus sumtis, tollere studuerunt. 67 in casibus adversus alvi obstructiones remedia adhibita sunt. 38 in casibus remedia ex herbis sumta, inprimis oleum Ricini adhibita sunt, quo facto 27 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{27}/_{38}$ = p. c. 71,5. 29 in casibus salia adhibita sunt, quo facto 14 matres servatae sunt, unde ratio $^{14}/_{29}$ = p. c. 48,27. —

Ne, sectione caesarea instituta, mater, quod saepe fit, vomitaret, variis rationibus prohibere medici studuerunt, inprimis opio,

potione Riverii et pulvere aërophoro. 50 in casibus, ubi opium adhibitum est, 24 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{24}/_{50}$ = 48,00 p. c. 15 in casibus, ubi potio Riverii adhibita est, 6 matres servatae sunt, unde ratio $^{6}/_{15}$ = p. c. 40,00. 4 in casibus, ubi pulvis aërophorus adhibitus est, 2 matres vitam servarunt, unde ratio $^{2}/_{4}$ = p. c. 50,00. —

Fuerunt, qui sectione caesarea instituta statim emulsionem papaveris aut amygdalarum, vel cum vel sine extracto hyoscyami et aqua laurocerasi paratam, a matre sumi juberent. 12 in casibus, ubi haec adhibita sunt, 6 matres servatae sunt, unde ratio $^{6}/_{12}$ = p. c. 50,00. Alii morphium aceticum adhibendum proposuerunt. 15 in casibus, ubi adhibitum est, 9 matres superstites fuerunt, unde ratio $^{9}/_{15}$ = p. c. 60,60. —

Alii post sectionem caesaream stimulantia, ut aetherem aceticum, sulfuricum, vel solum vel cum tinctura cinnamomi vel cum opio mixtum, adhiberi voluerunt. 31 in casibus, ubi haec adhibita sunt, 13 matres vitam servarunt, unde ratio $^{13}/_{31}$ = p. c. 41,93.

Denique restat, ut de duobus remediis, etiam atque etiam retractatis, loquar, nitrum dico et calomel. 27 matrum, quae sectione caesarea instituta nitrum sumserunt, 13 servatae sunt, unde ratio $^{13}/_{27}$ = p. c. 48,15. 31 matrum, quae calomel sumserunt, 18 vitam servarunt, unde ratio $^{18}/_{31}$ = p. c. 58,06. —

Jam ea, quae ex comparationibus collegimus, breviter comprehendamus.

1. Eorum casuum, ubi matris vena incisa est, ratio fuit $^{26}/_{41}$ = p. c. 63,41.
2. Ubi hirudinibus sanguis missus est, $^{22}/_{37}$ = p. c. 59,45.
3. Ubi glacies adhibita est,
   a. intus $^{12}/_{17}$ = p. c. 70,58.
   b. extra $^{13}/_{20}$ = p. c. 65,00
   c. clysmatibus gelidis $^{10}/_{11}$ = p. c. 90,90.
4. Ubi ad lactis secretionem vel adducendam vel servandam remedia adhibita sunt, $^{25}/_{34}$ = p. c. 73,52.
5. Ubi in vaginam inspersum est, $^{14}/_{32}$ = p. c. 43,74.
6. Ubi fomenta vel cataplasmata vulneri adhibita sunt $^{22}/_{42}$ = p. c. 52,38.
7. Ubi alvi obstructiones remediis ex herbis sumtis tollere conati sunt $^{27}/_{38}$ = p. c. 71,5; ubi salia adhibita sunt, $^{14}/_{29}$ = p. c. 48,27.
8. Ubi, ne puerpera vomitaret, opium adhibitum est, $^{24}/_{50}$ =

p. c. 48,00; ubi potio Riverii $^{6}/_{15}$ = 40,00; ubi pulvis aërophorus $^{2}/_{4}$ = 50,00.

9. Ubi emulsio papaveris vel amygdalarum vel cum vel sine extracto hyoscyami et aqua laurocerasi adhibita est, $^{6}/_{12}$ = 50,00.

10. Ubi morphium adhibitum est, $^{9}/_{15}$ = 60,00.

11. Ubi stimulantia, inprimis aether sulfuricus vel aceticus etc. adhibita sunt, $^{13}/_{31}$ = p. c. 41,93.

12. Ubi nitrum adhibitum est, $^{13}/_{27}$ = p. c. 48,15.

13. Ubi calomel adhibitum est, $^{18}/_{31}$ = p. c. 58,06.

Rationem autem felicium et omnium sectionum caesarearum, quarum medendi methodus supra enarrata est, invenimus $^{103}/_{193}$ = p. c. 53,36.

Quae cum ita sint, eorum remediorum, quorum post sectionem caesaream optimus fuerit eventus, rationem in hunc modum descendere elucet:

1. clysmatum gelidorum = 90,90
2. remediorum ad lactis secretionem vel adducendam vel servandam adhibitorum 73,52.
3. remediorum ex herbis paratorum, quae adversus alvi obstructiones adhibita sunt 71,5.
4. glaciei intus adhibitae 70,58
5. glaciei extra adhibitae 65,00
6. venae incisionis institutae 63,41.
7. morphii adhibiti 60,00.
8. hirudinum adhibitorum 59,45.
9. calomellis adhibiti 58,06.

Et si mihi id agendum erit, ut feminam sectione caesarea partu liberem, medendi methodum post operationem factam proposuerim talem.

Creber vomitus, cui puerperae interdum jam in ipsa operatione succumbunt, multis in casibus primis puerperii diebus tam vehementer exoritur, ut quies necessaria expellatur magnaque corporis perturbatio provocetur. Ea remedia, quibus solis usurus essem, sunt morphium et glaciei globi; quae re vera optimum praebuisse eventum supra invenimus. Morphium quietem reducit et glaciei globi levem inflammationem ventriculi, quae in vomitando non raro musculorum ventriculi contractionibus provocatur et augetur, removent. Super vulnus statim glaciei fomenta expandenda curarem, cum ut vulneris sanatio per primam intentionem efficeretur, tum ut perniciosissima peritonei inflammatio reprimeretur.

Tractus intestinorum sectione caesarea instituta saepissime valde perturbatur, id quod ex pertinacibus alvi obstructionibus cognoscitur. Tum oleum Ricini et gelida clysmata plurimum possunt. Accedit quod haec id etiam commodi praebent, ut inflammationem a peritoneo ad tractum intestinorum progedientem mitigent, periculosasque ejus consequentias impediant. —

Summi momenti restat cura conservandae mammarum secretionis, id quod eo efficitur, ut infanti mamma praebeatur vel ea ab adultis exsugatur, atque ut lochia profluant, id quod eo assequimur, ut emollientia cataplasmata genitalibus imponantur.

Persuasum mihi est, siquidem ante operationem matris constitutio perturbata non erat omniaque facta sunt, quae ut sectio caesarea feliciter matri eveniat, necessaria sunt, me ea ratione, quam modo enarravi, saepius matrem esse servaturum, quam huc usque factum est.

Attamen, quod valde dolet, sectio caesarea inter eas numeranda est operationes, quae secundis etiam omnibus rebus etiam atque etiam dubia erit et imprimis cum extensa peritonei inflammatio exoritur, saepe mortem adducet. Quae inflammatio si exoritur, non dubitabo, calomelle uti usque ad summam salivationem, hirudinibus quibus fieri potest plurimis, venae incisione repetita usque ad asphyxiam.

Hac via, sin aliter mater servari potest, felicem operationis eventum adduci posse mihi persuasum est.

Denique ex iis, quae ex comparationibus, supra institutis, invenimus, adjumentum accedet haud leve ad expediendam eam, quae usque ad hunc diem a medicis etiam atque etiam retractatur, quaestionem: utrum nervorum systematis percussio an inflammatio post sectionem caesaream institutam magis metuenda sit.

Antiphlogistica post sectionem caesaream adhibita effecisse optima supra intelleximus.

Unde inflammationem post sectionem caesaream exortam maximum periculum esse statuendum est.

Quae sententia ut probetur, antiphlogistica illa, quorum eventum post sectionem caesaream institutam optimum fuisse, supra demonstravimus, postero tempore prospere adhiberi velim: quo nihil habeo, quod vehementius desiderem.

APPENDIX.

Magnam partem ephemeridum et annalium, quos Kayser attulit, conspicere non potui. Quibus in casibus, iis, quae Kayser de sectionibus caesareis, his annalibus traditis, memoriae prodidit, confisus sum.

Annales, quos vel Kayser non conspexit, vel qui ejus collectione edita memoriae traditi sunt et sectionem caesaream institutam esse soli attulerunt, hos esse addendum est.

1. Rheinischer Generalbericht. von Jahre 1837, 1838, 1839, 1840, 1841, 1842, 1843, 1844.
2. Prager Vierteljahrsschrift. 1845. 1. p. 147.
3. Ranking, The half-yearly abstract of the medical sciences. Vol. XIX. Jan.-Jun. 1854. London. 3 Casus: Aerschoof, Mazier, Halder.
4. Gazette des hôpit. n. 51. 1852. n. 46. n. 56.
5. Gazette méd. de Paris 1582. p. 254.
6. Hamburger Zeitschrift Bd. 14. p. 112.
7. Gazette méd. de Strasbourg 1853.
8. Monatsschrift für Geburtskunde p. 310, 311, 312.
9. Neue Zeitschrift für Geb. Bd. 13. p. 431.
10. Arch. génér. de Méd. T. 17. 1848. Série 4. p. 243.
11. Atti Della sesta Riunione Degli Scienziati Italiani p. 776.